STEPHANI COMPSTOFF FLORENTINI PHILOSOPHIAE, AC MEDICINAE...

Stefano Compstoff



STEPHANI COMPSTOFF
FLORENTINI
PHILOSOPHIAE, AC MEDICINAE
DOCTORIS
DE CRISIBVS
ET DIEBVS CRITICIS
DISSERTATIO.





FLORENTIAE MDCCLXII.
EX TYPOGRAPHIA CAIETANI ALBIZZINI.
PRAESIDIBVS ADPROBANTIBVS.



EXCELLENTISS. VIRO, AMPLISSIMOQVE D. COMITI

IOHANNI VINCENTIO
ALBERTIO
IN EQVESTRI DIVI STEPHANI ORDINE
MINIATENSIS VRBIS PRIORI
FRANCISCI I.
PII FELICIS AVGVSTI
MAGNI ETRVRIAE DVCIS
ad Regendam Etruriam ipſam intimo Actuali Conſiliario, Reique Publicae a Secretis &c.

STEPHANVS COMPSTOFF
FELICITATEM.

SI publicis Scriptorum operibus, quaecumque demum illa ſint, celebritatem omnem, famamque conci-

liaret hominis, cui inſcribuntur dignitas, & amplitudo, mihi eſſet profecto gratulandum, quod haec tenuiſſima, ac rudis diſſertatio TVO ſit Nomini conſecrata. Nam & antiquiſſima tot, optimaque Nobiliſſimi Generis, ex quo profluis ornamenta, & ſingularis in TE humani, Divinique iuris ſcientia, & incredibilis eruditionis univerſae copia, & linguarum peritia, tanta cum humanitatis, & beneficentiae facilitate coniunctae, eum ſane operi huic meo ſplendorem afferrent, qui omnium oculis, & non ſine quopiam voluptatis ſenſu adfulgeret. Quae ſane Generis, prudentiae, virtutumque tuarum ornamenta quamvis ipſa per ſe perſpecta, ac illuſtria maxime ſint, novo tamen, ſplendidiorique argumento demonſtrantur, quod Sapientiſſimi COESARIS FRANCISCI I. PII, FELICIS, AVGVSTI, iudicio graviſſimo comprobatus, ad componendum Vindobonae primò,

mò, deinde Florentiae Etrusci Regiminis coetum summo cum omnium plausu fueris designatus. Quod si primum hoc studiorum meorum specimen TIBI, VIR EXCELLENTISSIME, consecratum tantum splendoris ac ornamenti ex nomine, auspicio, praesidioque tuo sperare, sibique polliceri nunc potest, vereor tamen ne ingenii mei imbecillitas, ac ipsa quoque argumenti obscuritas quidpiam detrhaere videatur. Etenim materiem Veterum, ac Recentiorum testimonio explicatu difficillimam, multisque difficultatibus involutam pertractare nunc aggredior. Mihi enim sedulo de Diebus Criticis doctrinam pervolventi occurret, inter coetera, ingens apud Antiquiores Medicae praxeos Fautores in enumerandis diebus criticis quaestio, ex qua constat luculentissimè non impares modo, non septenarios, sed nullos omninò esse dies, qui salutarium dierum nomen non adipiscantur. Dies enim omnes pares; criti-

criticos esse posse Magnus Hippocrates asseruit, si pari die morbi fierent incrementa. Quantae ergo contra imparem numerum disceptandi opportunitates insurgunt! Galenus quoque catalogum exhibet dierum magis, minusve perniciosorum, cum praesertim septimi diei naturam, & proprietates demonstret, sextum infidum, & suspectum vocans, & hunc tyranno devastatori, illum regi benefico comparandum esse contendit. Itaque, cum tanta sit in proposito argumento perplexitas, & amplitudo, veniam profecto ab aequis, bonisque iudicibus sperare me posse confido, nisi pro rei dignitate argumentum ipsum pertractaverim. Quecumque tamen futura sint, quae de opusculo hoc meo tui in Etruria nostra, tum & per gentes alias proferentur iudicia, id unum mihi firmam iustamque conciliabit voluptatem, id unum mentem meam fulciet, erigetque, quod clarissimum TVO,

a no-

a nomine, felixque principium ſortiatur. Quod ſi tibi uni comprobatum novero, bene mihi integreque & de aliis omnibus ominari ſentiam, cenſorio licet oculo rem omnem inſpicere, perſcrutarique cogitaturis. Vale Vir Ampliſſime, TEQVE incolumem diu ſervet D. O. M. in Etruriae noſtrae felicitatem, in Literariae Reipublicae decus, in abſolutum, ſtabileque TVAE Gentis ornamentum.



IN-

INDEX RERVM NOTABILIVM QVAE IN OPVSCVLO HOC CONTINENTVR.



DE



DE CRISIBVS, ET DIEBVS CRITICIS.



I. Risis a Graeco sermone deprompta vox, latina translatione iudicium significans, medicis auribus per se facilius intelligitur, quam si definiatur. Plurimis quippe difficultatibus obsitum est, atque involutum, quid Hippocrates, Galenus, aliique ex veteribus Medicis, ac recentioribus Criseos nomine percipi voluerint. Id enim saepissime occurrit in Medicorum libris, ut voce criseos intelligatur subita morbi in melius, peiusve quoad vitam, aut mortem immutatio, nunc vero ea, quae Medici iudicium praecedit fluidorum commotio, & agitatio, nunc ipsa e corpore propulsio materiae mortificae; nunc integra, & perfecta

totius morbi ſolutio in deteriorem etiam aegri conditionem, nunc denique illa tantum morbi ſolutio, quae in optimam aegri curationem deſinit, prout vulgaris fert hominum quoque nulli medicinae addictorum interpretatio.

Ex hac autem adeo controverſa ſupradictae criſeos denominatione derivantur celeberrimae in re medica voces aliae, & multis anſam diſputationibus exhibentes, ſymptomata critica, ſigna critica, critici demum dies, aliaque, de quibus omnibus paulatim, ſeorſimque inſtituendus ſermo eſt, cum ſummae neceſſitatis principia ſub hiſce capitibus comprehendantur, perfectaeque medicae praxeos, & diuturnae obſervationis experientiam is vere redoleat, qui ea univerſa penitus intellexerit. Id autem accidit aliquando, nullum ut ſuis in criſibus natura modum teneat, nimiaque in aegro corpore libertate ſpatietur, unde & ſuſpecta ſint, & periculoſa naturae ipſius beneficia, & medicae Artis auxilia deſiderant. Id ergo a Medicis dicitur Hypercriſis, quod idem ſonat ac copioſa, ſuperabundans criſis, non aliter ac nimiam purgationem Hypercatarſim appellare Medici conſueverunt. Vt itaque facilius percipiamus, quid hypercriſeos titulo veteres noſtri

nostri complecti voluerint, immaginemur ex. gr. febris acutae terminum ab urinae fluxu, & separatione deducendum. Is ergo fluxus, & separatio, si copiosius, celeriusve succedat, quam aut morbi status ferat, aut aegri vires desiderent, cohibendus iam erit, & determinato quopiam Pharmacorum genere compescendus. Id ergo integrum, perfectumque Hypercriseos exemplum suppeditat.

Sed ne grammaticis duntaxat nimis immoremur documentis, vocumque doctrinam vel inutilem, vel tenuem certe, relinquamus, exponendum potius est, quae sit Physica crisium definitio, seu qui sit idearum omnium nexus, & compositio, quae sub hac voce Medicorum mentibus obversentur. Sciendum itaque est hanc esse in animali corpore, veluti legem, assiduae ut in illo, perpetuaeque diversarum actionum vicissitudines exoriantur. Id autem praestant necessario non diversa solum, & multiplicia quibus corpus ipsum constituitur principia, & organa, sed & principiorum, organωnque eorumdem actiones perpetuae, multiplices, & externorum corporum om nium infinitae prorsus in corpus ipsum operationes. Quibus adcedit etiam mentis autoritas, seu variarum actionum series,

quam in hominibus exerere potens est conclusa nobis divinae aurae particula. Hisce constitutis, eodem in statu fere nunquam perseverabit animantium fabrica, quae tamen nonnisi maximas, summasque status huiusce sui mutationes percipit. Has inter mutationes, quae ceteris omnibus longe antecellunt eae sunt, quae vel partis cuiuspiam, vel corporis universi oeconomiam, & naturalem agendi vim perturbant, quaeque vulgari, & noto omnibus vocabulo morbi nuncupantur. Cum autem ob causas superius expositas in eodem statu nunquam corpus perseverat, neque ergo perseverabit semper morbus, sed varia causarum serie conspirante, varia, multiplicique methodo dissolvetur, & incommodam illam corporis constitutionem, altera vel incomodior, vel comodior status sui constitutio consequetur. Ex eo enim quod perpetua quaedam in animali fabrica concors, ut ita dicam, discordia vigeat effectuum diversorum sese mutuo destruentium, perpetuam quoque adesse sequitur magnarum mutationum originem, quae origini crisium percipiendae facilem sternat viam. En ergo Philosophica & numeris omnibus absoluta crisium idea, ex ipsa naturali corporis intima consideratione

re-

repetenda, eiusdemque veluti necessarius effectus existimanda. Nulli itaque erunt morbi, qui crisi sua destituantur, sive illa faustam corporis salubritatem restitutam, sive & funestam destructionem comprehendat. Vtque pro praesenti faciliora hac in re exempla praetermittam alibi fusius exponenda, quaecumque caussa tenaciores ex. gr., magisve cohaerentes in animali corpore humores divisura, aut iusto fluidiores, liquidioresque tenacitati pristinae redditura, criseos cuiuspiam principia facile conciliabit; quod si & in solidis ipsis partibus imperfecta quapiam, & vitiosa condictione laborantibus accidat, crisim instare dicimus. Sic quae continui solutionem passa est organica pars, mutuo ut contactui restituatur, vel succi coalescentis affluxum, vel implicantium, seseque mutuo obvolventium fibrarum distensiones, amplexumque desiderat. Quorum prima naturalis inspectio Medicis oculis Criseos ideam reprehesentat. Ex quibus omnibus, quamlibet superficie tenus levissimè delibatis, patet intelligentiam crisium ab intelligentia generali causarum morbos excitantium esse repetendam; cum caussa crisium ea ipsa sit, quae Phisicis morborum causis contrario prorsus effectu opponitur, seu quae caussas illas quascumque destruit. Si

Si itaque Philoſophica, criſin, interpretatione denudare voluerimus, erit haec diſpoſitio illa, quam morboſa materies adipiſcitur, qua per ſecretoria quaedam inſtrumenta facilius, promptiuſque ſecernatur. Poſtquam autem in effectum venerit, actionemque ſuam extulerit, diſpoſitio illa, tum criſis ſucceſſiſſe dicenda erit, cuius conſequentiae, effectuſque ſenſibus manifeſti exiſtimanda ſunt varia excretionum genera, differentiaeque. Si ergo caſtigato ſenſu rigidoque res omnis explananda ſit, excrètiones illae non cauſae ſolutionis morbi, ſed indicia potius reputandae ſunt: neque enim illae per ſe criſim faciunt, ſed quia diſſoluta iam eſt, & ad ſupra expoſitam diſpoſitionem adcomodata morboſa materies, unde excretiones illae conſequuntur. Nam ſi aegro febri correpto ſalutem ſudore comparari videris, anne ſudori illi ſalutis reſtitutae meritum omnem adſcribendum eſſe potius arbitrabere, quam antecedenti ſudorem humorum attenuationi fluiditatique, & ſolidorum mollitiei, relaxationique? Neque enim ſimplex ſudor excretionis auctae titulo morbum ſuſtulit, ſed qui duntaxat a praecedentibus cauſis quibuſdam exortus eſt: Quae proinde cauſae veluti prima criſeos inſtituendae fundamenta ſunt. Quod autem ita ſe res ha-

beat

beat patebit facile pluribus in locis, ubi ostendemus excretiones etiam copiosas funestas fuisse non infrequenter, atque omnino symptomaticas. Manifestum itaque est, non ab iis simpliciter, sed nonnisi per determinatas quasdam leges, conditionesque morbi solutionem derivari. Quod opportune animadvertit Fridericus Hofmannus, ubi ait excretiones in diebus criticis non esse causas solutionis morbi, sed potius effectus superatae iam causae morbificae. Quod ex allatis huc usque argumentis satis, superque manifestum esse arbitramur.

Neque hisce omnibus reponat aliquis obviam excretionis cuiuspiam pro obtinenda crisi necessitatem. Notum certe est Hippocratem ipsum noxiorum quorumcumque corporum excretionem crisin appellare, itaut corrupti ex. gr. ossis excretionem crisim vocet (1). Notum quod observat magni nominis Clinicus Albertinus, in omnibus febribus quidpiam secerni demonstrans (2). Notum denique ipsam crisium denominationem (3), verosimillimo interpretationis gene-

 re,

(1) Hipp. Lib. de arte.
(2) Comment. Bonon. tom. 1.
(3) Crisis iuxta plures, & quidem summa cum probabilitate ἀπὸ τῦ κρίνειν, quod est sequestrare, & veluti per cribrum aliquid excernere.

re, ab excretione derivatam fuisse. Neque tamen exinde consequitur unum, idemque esse crisim, & excretionem, cum infiniti propemodum morbi sint, qui sine ullo manifestae excretionis indicio finem habeant suum. Audiatur Sydenhamus, ubi ait *dari quasdam febrium species, quas natura sine visibili evacuatione abiegat, reducendo scilicet in sanguinis massam illique assimilando materiam morbificam quae cum eo minus quadrabat*. Vides ergo sine crisi quoque morbos, febremque ipsam dissolvi posse, licet & hoc crisis genus quodpiam sit, quotiescumque naturali sanguinis constitutioni morbifica materies assimilatur. Quin id potissimum Philosophicam parit, veramque crisis ideam, cuius, ut supra demonstravimus, excretiones quaecumque, effectus unice reputandae sunt. Hisce omnibus probe notis, perspectisque, mutationum quarumdam ad crises relativarum nomina, & notiones intimae, facili negocio cognoscuntur. Crudum quippe nuncupabitur quidquid parto prius morbo in ea adhuc violentia persistit, ut & morbus exinde persistat. Erunt ergo cruditatum genera, & differentiae propemodum infinitae, quot scilicet prima morborum elementa recenseri possunt; faciet enim cruditatem vitiosa solidorum quaecum-

que

que constitutio: Relative autem ad fluida acredo nimia, nimia visciditas, nimia fluiditas &c. Quod paucis ab Hippocrate indicatum, ubi ait, *nimis dulce, nimis amarum, nimis salsum, nimis acidum, cruditas est*. Coctionis vero Philosophicam prorsus ideam, & numeris omnibus absolutam exhibet clarissimus Boheraavianae doctrinae interpres Gerardus van-Swieten, ubi ait: *quando id quod stimulo, vel coagulo, febrim produxit per febrim ipsam sic mutatum est, ut minus noceat, & aptum evadat ut de corpore expelli possit, tum dicitur coctum, licet nunquam in naturam nostram converti possit, nec indolem sanis humoribus similem acquirere* (1).

Quae omnia cum antiquiorum Medicorum mentibus obversarentur, peculiarem in iis criseos imaginem constituerunt, quam sibi scilicet pugnae veluti cuiuspiam spectaculo inspiciendam offerrent. Neque enim aliud quidpiam crisim Physicè definitam esse censuerunt, quam conatum inter naturam, & morbum, natura tandem triumphante. Exinde autem metaphoricis gestientes imaginibus scriptores, illi, crisim considerarunt, tanquam quae in iudicio pro-

(1) Comment. de Febr. 587.

proferenda esset sententiam. Vti enim eos inter, qui mutuis se accusationibus invadant atrox exoritur pugnae discrimen, facilisque tandem uni duntaxat arridet victoria, sic opportunitate criseos natura, morbusque decertant invicem, ita ut accusato homini similis, incerto animo, pavidoque sententiam aeger expectet. Fit autem crisis quaecumque vel a natura sola vincente, & peculiari quodam insurget die, qui idcirco criticus appellatur, vel ab ipsa adeo irritata, turbataque ut crudos indecenti tempore propellat humores quod intercalaribus maxime diebus accidet, vel tandem ab exultantis morbi insolentia, & autoritate, quod incerta lege ulla diebus quibuscumque continget, cum nulla sit dies, quae se aegrorum morti promptam neget. Haec de Philosophica crisium idea dixerunt antiquiores.

At ebrii varia systematum voluptate recentiores, diversam unusquisque pro diversitate doctrinae principis iniit viam. Et primo in abstrusa separationum Theoria explananda definiendaque quam crisibus intelligendis praeviam esse cognoverunt, alii quidem luxuriante mathesi turgidi, materiei vires, motuum leges, elasticitatum variarum mutationes; percussiones, appulsus flui-

fluidorum, impetus, & directiones in secretoriis instrumentis considerarunt; alii depromptis ex vulgari mechanica imaginibus, facili pompa rem omnem expediri posse censuerunt, cribra veluti quaepiam in toto corporis ambitu sibi repraesentantes, porosque excernendis fluidis proportionales, alii immechanicas corporum vires, & iis insita necessario agendi principia, attractionesque mutuas in medium protulerunt, alii perpetuam mentis vigilantiam, consiliumque, a qua motus in corpore peculiares excitarentur ad valetudinem tendentes; quod in Georgii Ernesti Sthalii systemate, motuum materialium aeterna praeses, occupatissima perficit anima. Quid enim systemata quaepiam exponam ad secretiones intelligendas poetico potius impetu quam philosophico excogitata illustria sapientum somnia?

II. Cum vero inter universales oeconomiae animalis actiones separatio humorum prima sit post circulationem, hinc sapienter animadvertunt recentiores perpetuas fieri in animantibus crises per secretiones aequa methodo & necessaria distributas. Sciendum enim non aegris modo familiares esse criticas excretiones sed & in optima corporis conditione constitutis; nam per urinas ex. gr.

ludo-

ſudoreſve copioſiores per opportunas haemorragias, vel futuri morbi non raro praecaventur, vel praeſentes tenuiſſimi diſſipantur. Quod evidenter oſtendunt conſuetae quaedam, quaedam etiam periodicae in nonnullis humorum excretiones, de quibus ii maxime cauti curioſique ſunt, qui ſecundae valetudinis delicias experti, adverſae incommoda reformidant.

Haec autem, quicumque ſedulo, attenteque perpendat, intelliget luculentiſſime in errorem eos adduci, qui in brevibus duntaxat, acutiſve morbis criſes dominari cenſuerunt. Nam & chronicis morbis fugandis inſerviunt, & morbis quibuſcumque praecavendis; unde obſervanti Medico prudentique raro timorem iniiciant, coeteris paribus, & ſine pertinacia auctae ſeparationes. Quis enim naturae beneficium non praedicet, & admiretur in homine, longaeva iam aetate laborante, quem apopleticis fortaſſe ictibus ſubtraxerit liberalis e naribus erumpens ſanguis! Aut quis largas alvi, renumve deiectiones, perpetuae criſis loco eſſe neget in foemina quae Iunonem Menam propitiam (1) ſibi non adeſſe conqueratur. Quod

(1) Ita apud Veteres audiebat Dea praeſes menſtruis mulierum purgationibus.

III. Quod si principiis lento gradu agentibus, lenti insurgant morbi, neque ex iis plurimi crisi sua destituuntur. Vt autem faciliori res omnis obtutu percipiatur, adnotandum primo, veterum ferme omnium sententia, cui & plerique ex recentioribus inhaeserunt, acutos morbos dierum quadraginta intervallo iudicari: Eos vero, qui ultra quadragesimum persistant, chronicos appellari. Ii autem omnes definito carent crisis termino, nullaque certa dierum lege dissolvuntur. Nam morbi quidem breviores, a vigesimo die ad quadragesimum iudicantur per septenarium numerum, a quadragesimo, ad centesimum, & vigesimum per vicenarium, post centesimum & vigesimum cessat omnis dierum auctoritas, longoque duntaxat annorum, mensiumve spatio, incerta etiam periodi norma, avolant pertinaces morbi. Haec de chronicorum morborum crisi docuerunt Hippocrates, Galenus, aliique; An vero dicendum sit naturam legibus iis esse obligatam, alibi videbimus, ubi de dierum criticorum forma, & conditione disseremus; Id unum in praesenti animadvertentes, supra expositam chronicarum crisium Theoriam Veterum memoriae protinus excidisse, quotiescumque septenario quopiam im-

implicari possent crises illae, uti affectionum illarum exempla demonstrant quarum crisis vel septem mensibus, vel & septem annis contineri, concludique crederetur. Quibuscumque autem vinculis naturam in morbis veteres circumscripserint, lento etiam gradu incedentem, id tamen extra omnem dubitationis aleam asseri tuto potest, morborum quoque chronicorum plurium manifestam aliquando esse criticam solutionem. Cumque ea sit animalis fabricae tristis, & luctuosa conditio, ut ab ipsis usque constitutionis suae principiis variorum morborum dissidio, atque insultibus occupetur, hinc ipsae, quae in animali corpore aetatis beneficio fiunt perpetuae mutationes, morborum illorum crises sunt; quod accurato observationum ordine satis, superque testatur puerilium morborum historia: de quibus idcirco adnotavit Hippocrates diuturnam esse consuevisse durationem affectionum illarum, quae in pueris permanserint, neque solutae in iis fuerint circa menstruorum eruptionem (1). Cui consentit Celsus, ubi ait: *quae salutis incommoda, si neque primis coitibus, neque in foemina primis menstruis finita sunt, fere semper longa sunt.*

(1) Aph. XXVIII. Sect. III.

sunt. Quo loco animadvertendum est, quod supra docuimus, crisium potius effectus, esse excretiones, quam crises excretionum. Neque enim putandum est morborum quorumdam puerilium solutionem menstrui humoris, aut spermatici fluidi excretioni esse adscribendam: quod austera, rigidaque veterum librorum interpretatione contenderunt ex commentatoribus plerique; cum tamen chronicarum, ea in aetate affectionum terminus, universali potius, quam corpus omne subit, mutationi tribuendus esse videatur. Neque enim auctae duntaxat tum temporis vitae vires exacta lance perpendendae sunt, sed & quae exinde consequuntur, solidorum omnium incrementum, robur, durities, minor vegetatio, fluidorum vero densitas, extensio, distributio: quibus facile fit, ut non veteres solum morbi extinguantur, sed & novi prorsus insurgant (1). At vero lentas hasce morborum crises in pueris omittentes chronicorum morborum crises alias exponendas aggrediemur, quas in adultis quotidiana confirmat experientia. Id autem depromptis ab Hippocrate documentis ostendendum est, qui

(1) Georg. Ern. Sthalius de morbis aetatum. Fridericus Hofmannus de annis climactericis.

qui capitis morbos ſolvi animadvertit humoris varii fluxu ex variis capitis ipſius cavitatibus inquiens (1) *capite laboranti, & circumcirca dolenti pus, aut aqua, aut ſanguis effluens per nares, aut per os, aut per aures, ſolvit morbum*. Et quamvis aphoriſmi huiſce veritas rationi nullatenus conſentire videatur, ut egregiis medicinae Hippocraticae interpetrationibus notat Gorterus, inconcuſſa tamen pro Hippocrate ſtat obſervatio. Si enim quod ab haemorragia derivari poteſt cephalici morbi levamen excipias, intelligi difficillime poteſt qua nam conditione fiat, ut per aures, os, nares, caput expurgetur. Vltro concedimus foramina cranii omnia dura meninge tecta ab Anatomicis exhiberi. Quis autem mortalibus adhuc indutus exuviis, naturae vias omnes, receſſuſque ſecretiores agnoviſſe ſe temere, atque impune iactaverit? Praeſertim vero cum dubiam incertamque rei veritatem obluctante licet Philoſophica face, Clinica praxis oſtendat. Sed & alio in morbis chronicis criſium argumento nos occupat Divinus Hippocrates, ubi melancholicis, & nephriticis haemorhoides

(1) Aph. X. Sect. VI.

rhoides ſupervenientes bonum eſſe notat (1). Quo loco animadvertendum nephritidis voce calculos renum intelligendos non eſſe, ſed dolores lumborum quoſcumque, quos veteres nephritidis nomine appellaverunt. Neque ſat arduae indaginis negocium eſt, ſi ſciſcitemur, cur & nephritidis, & melancholiae criſis fiat frequentiſſimè per haemorhoidas, cum deſtituta valvulis vena porta, liber ſit effluxus lento ſanguini per haemorhoidas decurrenti, quae portae eiuſdem extremae ſunt veluti partitiones. Quid enim dicam de hydropis, anaſarcae maxime, diuturni licet, pertinaciſque, ſolutione? Atqui frequenti conſtitit obſervatione, patefactis inteſtinalis fiſtulae tubulis, auctaque glandularum actione, lympham per emunctoria illa diu, & copioſe excretam, longioris morbi, & periculoſi criſin effeciſſe. Neque enim admirationem ulli pariet, ſi auctae urinarii ſyſtematis vires, ſecretioneſque, id ipſum facilè praeſtiterint. Adde quod liberali quoque narium haemorragiae ceſſit aliquando morbus huiuſmodi, inſperato nimirum pro morbi qualitate criſis generi. (2) Poſtremo tandem potus quoque

(1) Aph. XI. Sect. VI.
(2) Hild. Cent. 1. obſerv. L.

copiosissimi gravitate, & violentia factum est, constanti ut morbo, conclamatoque crisis adfuerit (1), tantis opportunam viis sese praestat beneficae naturae munificentia!

IV. Si ergo recte, sapienterque tum veterum, tum recentiorum autoritate conspirante assertum est Medicum naturae ministrum esse, quanto id ministerii sese efferet, ac veluti triumphabit in Crisium negocio, quae naturae medicae opus certe maximum componunt, omniumque utilissimum! Medici itaque naturam observantis, illique diligenter inservientis, perpetuum erit, sanctumque munus crises investigare. Id autem non sine summo aegrorum incomodo accidit frequentissimè, ut impediatur potius, suffeiaturque crisis vel inopportuna quaedam, ne dixerim perniciosa experiundo, vel opportuna quaedam, & salutaria praetermittendo. Quae duo in morbis omnibus summopere animadvertenda, accurato nunc examini demandanda sunt. Dolendum itaque primò est invalescente iam, & progrediente morbo, quin & dubio instantis criseos appulsu, summae activitatis

(1) Baynard. tract. de balneis calidis, & frididis.

vitatis medicamenta in medium frequenter adduci, quibus aegri res in deterius delabantur. Quis enim id facilè ferat, tranquillusve audiat, ut inconsulto, neglectoque morbi statu, & conditione vehementioribus sudoriferis, purgantibus, volatilibus, irritantibus, acribus vel, & sedativis narcoticis defatigetur aeger, & quae aptiores salubrium excretionum fortasse meditabatur vias, alibi materies noxia distrahatur? Qua quidem vel revulsione, vel derivatione facta, de integra deinceps aucupanda crisi actum facile est. At nimio saepe impetu ad artis suae gloriam contendunt Medici, & de morbi victoria, atque expugnatione, citius quam par erat, solliciti, bono quidem animo, malum tamen aegris praestant officium surdam crisim inopportuna velocitate advocantes, quin & ferme suis, multisque lacessentes obligatam veluti remediis, illamque hac ipsa de caussa longius abducentes. Egregiè itaque praeclareque Medicos monet praxeos magister Georgius Baglivius prope dies criticos ab usu opiatorum abstinere, ne naturam tum temporis multo operi intentam, multa agere consuetam, iniuncta humoribus tarditate opprimant, crisimque tollant: qui & notat, solemne id esse apud rusticanos, per-

fectiores ut sortiantur crises, quod nullis utantur medicamentis. Frequenter adeo activi medici vituperium id est, ut agendo, insudandoque, omnia perturbet; tantumque nocet in morbis pluribus nimis fuisse negociosum. Quod ii praestant lubentissimè, qui definitam Medicae artis autoritatem producto limite distrahentes, compositis pharmacis ventres onerant, & in uno stomaco medica plurimorum gentium dona conpingunt. Quod si vel aegrorum, vel familiarium male aegro consulentium importunitas medicamenta extorqueat, palliativa, ut aiunt, Medicina praesto sit, & lenissimum commoda fraude medicamentum. Si ergo ullibi, hic, maxime res tota cunctando restituitur: hic triumphet necesse est quieta illa, & lenta Gedeonis ars curandi morbos per expectationem (1): hic exultet elegans Hispani scriptoris Medica consultatio (2), in qua plures ad unum aegrum confluentes Medici, unusquisque pro diversi pharmaci usu, & praestantia dispu-

(1) Notus Gedeonis Harvei Liber, cui titulus *de arte curandi per expectationem*. In ipso libri limine elegans tabula hominem exhibet, cui magna manù pagina tota hoc duntaxat verbo inscribitur. *Expecta*.

(2) Notum Hispani Medici opus, consultationis Medicae titulo inscriptum.

disputant , donec adveniente Hippocrate tranquilla fiant omnia : qui paucissimis tot pugnas verbis dirimit , quietem duntaxat aegro praescribens : sudorem quippe futura die adventurum , quo nullis advocata pharmacis, salus tamen integra restituatur . Quamobrem facilem sibi nullo negocio , remediisque suis comparare gloriam poterit quicumque instante Crisi nullius etiam nominis , meritive remedia propinari iubeat . Quod quidem illustrem Vetulae illius famam unicuique revocat in memoriam , quae totam , quantacumque illa esset , Aesculapii gloriam absorbuisse insipientum oculis visa est , quod conclamato iam aegro , properante crisi , subitae salutis miraculum obtulerit , quam Galenus iure optimo beatam nuncupavit . Tanti fuit animam nullatenus Hippocraticam fortunato crisis appulsu , vel ignobile pharmacon praescripsisse ! Vbi vero beata est & Vetula , quae venit tempore crisis , ita infaustus medicus , aut aeger potius , qui quas praevidere nesciit , crises inopportuno perturbat pharmaco . In eo itaque totus sit Medicus necesse est , apriore ut morbi tempore facilem naturae sternat viam , quo integram eius labore , & industria , promptamque crisim moliatur . Quod quidem iuxta morborum diver-

ſitatem, cauſſarumque maxime morbos illos advehentium, diverſa conditione obtineri poteſt; vel enim diſſolvendum eſt quod denſius eſt, tenaciorique cohaeſione praeditum, vel ſpiſſius reddendum quod nimia fluiditate nocuerat, vel temperanda quaecumque validae acredinis vi corpus offenderant, vel relaxanda, emolliendaque quae inflexibilitate, & ſpaſmo vehementiore rigidiora fuerant, vel conſtringenda, & corroboranda quae morboſam ſubiierant atoniam, vel aperiendi obſtructorum canalium obices, & impedimenta. Noſſe autem neceſſe eſt quaecumque, vel excitandis in diverſo morbi ſpatio criſibus inſerviant vel promovendis. Qua in re plura monuit ſapienter Hippocrates, qui primò impedimenta criſes prohibentia de medio tollenda eſſe animadvertit: Secundo notat quo potiſſimum tempore vel exhibenda quaepiam ſint, vel ab iis conquieſcendum. *Incipientibus morbis ſi quid movendum videatur, move, vigentibus vero quieſcere ſatius eſt* (1). Quo movendi conſilio intelligendum non eſt vehementiore motu procurando opus eſſe quae graviſſimorum interpretum (2) quorumdam ſenten-

(1) Aph. XXIX. Sect. II.
(2) In id vero adducti ſunt a verbo graecò τὸ κινεῖν, quod propriè movere eſt.

tentia est, sed de purgationibus quibuscumque, aut evacuationibus instituendis: ni enim in ipso morbi exordio importuno humorum onere grave corpus leves, aut inutilia fluida, & perniciosa diminuas, vel inaequalem habes fluidae, solidaeque partis actionem, reationemque, vel omnino adversam. Quod si alteri adhuc morbi tempori ea omnia committis, rem inopportune moliris vel noxiam saepe, vel saltem inutilem. Quae in acutis praecipue morbis summo studio perpendenda sunt, in quibus tamen dolendum est perniciosos quosdam vigere usus promovendis crisibus, excitandisve infensissimos. Quis enim caloris assidui vehementiam, artis etiam ope conductam, crisi facilius obtinendae conferre posse arbitretur? Quis humidum, & sordidis aegrorum vaporibus refertum aerem, & rarius, aut numquam immutatum? Quis foetentia linteorum, lectique, & eorum quorumcumque, quae aegros ambiunt effluvia (1)? Quorum omnium incuriam, erroremque etsi medici ferme omnes ultro fateantur, mirum tamen est, quod invaluerit adeo consuetudo conclusis acuto morbo laborantes, calidisque detinens cubiculis squal-

 lorif-

[1] Videatur Platnerus de mortis ab immunditia.

lorisque perpetui improvida voluptas, & inopportuna tenebrarum laudatio.

Alibi autem, dum criseos indicia perspiciuntur, vel Crisis ipsa fit, Medicum suadet Hippocrates quietum esse spectatorem; *nam quae indicantur, & indicata sunt perfectè, neque movere oportet, neque innovare sive purgantibus, sive aliis medicamentis, sed sinere* (1). Admirare porro quam austera sint divini Senis documenta, ubicumque naturam agentem reprehesentet, austerissima vero ubi de Crisibus sermo fit. Anne ergo si per alvum, exempli gratia, Crisim natura moliatur, movenda alvus non est, neque naturae ipsius opera sollicitaturus, tuto purgantia exhibet Medicus? Nonne aequissimo Hippocratis ipsius praecepto, *quo natura vergit eo ducere* oporteat? Minime vero: ni aliqua difficultas adsit, aut perfecte cognita necessitas urgeat, vel de naturae ipsius infirmitate, vitioque suspiceris: aliter enim naturam, iuvandi loco, fortasse perturbas; Nam quae tibi est tam certa, & secura cognitio, ne purgante exhibito humores quoque utiles vi facta ad intestina divergantur, & quae morbum fecit superstes adhuc materia agitato corpori pertina-

(1) Aph. XX. Lib. II.

tinacius adhaereat? Tanti eſt criſibus praeeſſe, vel agentis Medici, vel & ocioſi ſpectatoris munere perfungaris. Neque hiſce duntaxat finibus contineri Medici cura cenſenda eſt. Nam parata iam eius ſtudio, & vigilantia ad criſim natura, inſurgens adhuc criſis ipſa legibus quibuſdam promovenda ſaepe eſt, vel & moderanda, & ad ſuum uſque terminum perducenda. Ex quibus omnibus inferendum eſt in Criſium negocio Medicum nunquam ſatis eſſe curioſum.

V. Sed & alia in adminiſtrandis Criſibus ſunt, quae incredibilem Medico laborem faceſſant. Cum enim id ex ipſa rei neceſſitate conſequatur, omnes ut ferme criſes, interior, & inſueta quaedam agitatio corporis antecedat, probè intelligunt omnes quanto id errori conferat Medicorum, illorumque metui, potiuſquam ſpei ſuſcitandae conſpiret. Nam, ut ſupra monuimus, ex ipſa rei neceſſitate quaedam veluti incrementa morbi luculenter inſurgunt, dum auctis machinae potentiis, irritatiſque determinatis partibus quibuſdam, materiae morbificae, vel diſſolutio, vel excretio praeſto eſt, & quae corpori nuper implicata quodammodo ſiluerat, vinculis aut expedita, aut expediri tentans ſuis li-

beram

beram agendi vim nancifcitur. Quanti autem fint motus illi, quanta haec falfa morbi incrementa, conftabit evidentiffimè, ubi de praefagio crifium differemus. Vtque uno nunc res tota exemplo colluftretur, viden quanta criticam per nares haemorragiam incommoda praeveniant, dolor gravis, inquieta pulfatio, delirium, phrenitis? Quid quod in ipfo ut plurimum morbi ftatu fit crifis, cum fcilicet noxia vehementius furunt, exfultantque fymptomata.

Lubet adhuc regiam Hippocratis fequi viam, tutifque caftiffimi obfervatoris veftigiis inhaerere, admonentis *quibus crifis fit, his ante exacerbationem noctem gravem effe, fymptomatibus nempe pluribus, & acerbioribus refertiffimam, fubfequentem vero leviorem* (1). Neque ab ullo fane, quam ab hoc fonte repetendae funt alibi expofitae criticae perturbationes, confluxus fcilicet quidam effectuum diverforum, qui crifi cuilibet adiunguntur, quae cum nova quapiam fecretione, fimilive opere profluat obtineri minime poteft, ni novi effectus plurimi infperatique confurgant, qui quamdam veluti perturbationem adducere videantur. Quae quidem

(1) Aph. XIII. Sect. II.

quidem, cum aegris in deterius vitam ruere dubitantibus terrori esse possint, praesagienda Medico sunt, terrorque omnis discutiendus: ni enim ea omnia opportune praedixerit, sibi tribuat necesse est, si imperitae gentis fabula fiat, & quae vel prudenter exhibuit medicamenta, in culpam mali supervenientis adducantur. Raro tamen, incautoque semper consilio medicamenta tum temporis exhibentur, cum tanta sit criticarum perturbationum vis & actio, ut addita pharmacorum vi, Hyperchatarses exinde lethales oriantur, aliaque incommoda prorsus infinita. Quod sedulo monuit Georgius Baglivius, mesentericas Romae febres excipiens, nimiam supponentes cacochyliam.

At vero nostri memores instituti, methodum brevi exponendam aggredimur, qua morbosa symptomata, & critica dignoscantur. Cum enim multa sint, ac propemodum infinita, quae incertam reddunt, intricatamque medicam diagnosim, tum illud maximè, quod morbosorum symptomatum characteres, & indicia, summo duntaxat studio, & labore improbo a criticis seiungenda sint. Primo itaque cum progrediente duntaxat morbo, vel absolutis circuitibus quibusdam crises accidant, morbosa,

ſa , potius quam critica ſymptomata ea omnia cenſenſa ſunt , quae ſub ipſo morbi exordio ſe produnt, morbove adhuc immaturo . Hinc recte , ſapienterque noxias iudicato , quae in acceſſionibus, aut tremore febrili inſurgunt haemorragiae , vomitus , urinae copioſae &c. Quid enim fauſti ominis liceat tibi , aegroque tuo exinde polliceri? ſic & morbi , potiuſquam bene auſpicatae criſeos effectum arbitrabere , ſi varias uno , eodemque tempore diverſis in partibus humorum expulſiones obſerves . Raro quippe exemplo plures init vias, rarò multiplicis actionis merito ſinceram criſim , integramque natura meditatur . Sic frequenti conſtat obſervationum ſerie in acuti morbi periodo , ſudorem ex. gr. alvique deiectionem nimiam , una convenientes , deteriorem ſemper effectum intuliſſe . Nonne enim de morbi potius quaquaverſum irruentis acerbitate, & violentia , quam de naturae beneficentia , & largitate admonent luxuriantes diverſo impetu ſeparationes ? Sed quae morboſis criticiſque ſymptomatibus diſtinguendis facem praeferunt documenta , eadem omnino ſunt cum iis , quae viam indicant , qua bona , & ſincera criſis a falſa ſecernatur ; unde exponendas aggredimur criſeos utriuſque characteres . Cum

ergo

ergò fiant, ut plurimum, crises facto excretionum quarumdam incremento, uti pluribus in locis animadvertimus, sciendum tamen est plura excretionibus hisce adiungenda esse, quo salubres exinde suscitentur effectus.

Quae ergo bonis avibus accidisse crisis dicenda est, pacata omnia relinquit, & divino prorsus splendore suffulta ab ipso tempestatum sinu subitam evehit, constantemque tranquillitatem. Contra vero suspecta habere bona sua debet, quicumque crisim obtinuerit, a qua nec morbi remissio fiat, nec pertinacium symptomatum declinatio. Quo enim rationis impulsu bene tibi, aegroque tuo omineris, si vigente adhuc, vel absoluta, de qua male gestis, crisi, durus tamen in acuto morbo persistat arteriae pulsus, aut frequens, & laboriosa respiratio, aut asper in externa cute contactus, aut consueti coloris immota semper, & inquieta praesentia! Suis ergo, qui illam praeeant veluti satellitibus stipata progreditur crisis, integram, redditura perfectae valetudinis voluptatem: quibus si destituatur nae illa dubitandi semper ansam relinquit, ac si fallax, subdolumque corpori intulerit beneficium. Veritatem hanc accuratioribus Clinicis notissimam,

expe-

experientia rerum magiſtra quotidie confirmat, variaque fulcit obſervationum ſerie Fridericus Hofmannus, ubicumque naturam deſcribit criticis operibus occupatam (1). *Aliquot certè ipſis, ait, criticis diebus ſub largis ſudoribus occumbere vidi, in quibus ſcilicet ſymptomatica potius, quam critica apparuit excretio, quam nimirum nec humorum fluiditas praeceſſerat, nec a duritie ſua remittens pulſus, &c.* Et revera adnotante etiam Gortero, evacuationem criticam ſigna ſua praecedant neceſſe eſt cum unico momento materia cruda converti nequeat in coctam, eiuſque converſionis ſua eſſe debeant indicia.

Sed & Canonas quoſdam repetita obſervatione innixos exhibuerunt Practici, quibus optima criſis, & improba dignoſcerentur. Peſſimas itaque eſſe adnotarunt criſes humoris meri, ſincerique a peculiari quapiam corporis parte propulſi; unde ſincero ſanguini per tuſſim ex. gr. ſincera bile per alvum excreta &c. fauſtum nihil imminere monuerunt. Neque enim univerſales exinde corporum repurgationes expectandae ſunt, neque id omne cauſſae alteri, quam peculia-

(1) Diſſert. de Criſibus, & Criticis dieb. in experientia rationali fundatis.

culiari vitio, morbove tribuendum. Pessimas quoque deprehenderunt crises humoris pauci, tenuisque, & qui vix expulsionem sui conspiciendam fecerit, repentè destiterit. Huiusmodi sunt rarae e naribus sanguinis guttae, rara per ventriculum, aut intestina, & difficilis eiecta materies &c. Quae omnia partis illius exsolutionem, oppressionemque indicant, nec ab universa fluidorum compage, sed a particularis cuiuspiam liquidi labe, & perturbatione deducendam esse monent salubrium numero male additam excretionem. Quae quidem omnia veritati admodum consona diuturno experimento conspexit Georgius Baglivius, multisque ante illum saeculis magnus Hippocrates, qui Epidemiorum libro primo observandum reliquit in Philisco, & Epaminone, & Sileno quarta, & quinta die,, parum sanguinis de naribus stillavisse, & mortuos esse ..... in febribus ardentibus epidemicis eos servatos fuisse, quibus largè sanguis e naribus eruperit: erupisse autem maxime adolescentibus, & in vigore constitutis.,, Quo loco adnotandum suum esse excretionibus omnibus modum; nam & quae nimis copiosae sunt, & subitae, velocesque excretiones, infaustae criseos praenunciae esse consueverunt: id vero pro humorum excre-

torum

torum diverſitate, & partis excernentis officio, & conſtitutione diverſis rationibus intelligendum. Quin etiam iiſdem omnino terminis concludendae ſunt copioſae criticorum humorum metaſtaſes, quae aut parti, in quam traducuntur, lethalia deferunt incommoda, aut abundantem nimis indicant, & qui repurgari ſatis, excernive nequeat, vitioſorum fluidorum confluxum. Poſtremo denique in gratiam tuti criſium praeſagii habenda quoque ratio eſt non quantitatis modo, ſed & qualitatis humorum excretorum. Si enim corruptos humores, foetidos, graveolentes, ſi ab indole naturali ſua maximè immutatos ingenti copia excerni conſpicias, quam difficile criſem imaginabere bonis avibus advenientem!

In eo etiam totus ſis neceſſe eſt, ut in iudicio criticarum excretionum inſtituendo aegri aetatem perpendas, anni tempeſtatem, morbi ſpatium, & conſtitutionem, diverſas corporis cuiuslibet conſuetudines quaſpiam, aliaque huiuſmodi. Lege, ſis, epidemicarum conſtitutionum quarumdam hiſtorias ab eruditioribus Medicis evulgatas. Docebunt illae quam diverſi ſint criſium characteres: quam funeſtae aliquando fuerint datis quibuſdam temporibus, excretiones nonnullae, quae in diverſa coeli conſtitutione ſingularia ſubitae

bitae ſalutis portenta pepererant. Id omne vario obſervationum genere ſuffultum exhibebunt illuſtres animae Sydhenamius, Tortus, Ramazzinius, Valcarengus, &c. Noto igitur epidemici morbi charactere, dignoſces facilè quae fauſtam in iis criſim ſigna, funeſtamve concomitentur. Sic & diverſae quoad aetatem, & conſuetudinem, corporum conſtitutiones, diverſo criſium genere morbos fugant, quarum perſpecta cognitio dubium Medici iudicium non multa cum difficultate moderatur. Id quoque obſervatum frequenter eſt, criſes felici omine ſucceſſuras, per vias, ut plurimum, fieri viciniores, eas ſcilicet, quae morbi materiam, ſedemve proxime complecterentur. Hinc meſentericas febres repetita naturalium purgationum ſucceſſione facile diſſipari animadvertit Baglivius. Hinc & quotidiana conſtat obſervatione morbos pectoris ex. gr. expuitione, alvi morbos inteſtinali fluxu tutius, leniuſque, quam alio quocumque partium ordine profligari. Licet autem remotioribus quoque partium viis frequentiſſimas natura criſes inſtituat, cum corporis univerſi unus ſit ubicumque confluxus, una conſenſio, particulares tamen ſecurius perficit faciliuſque. Vt itaque brevi haec omnia complectamur, fauſtae criſeos, perfectaeque

haec ſunt argumenta. Et primo praeveniant illam neceſſe eſt integrae coctionis indicia. Secundo proprio ſuccedat morbi tempore, ſeu critica die, opportunaque. Tertio eius actione morbi materies omnis, & incommoda ſufferantur, vel maxime mitigentur. Quarto per aptiores fiat corporis partes, ſeu morbi cauſſae, ſolutionique magis accommodatas. Quinto ſit haec manifeſta; manifeſtis nempe principiis conſpirantibus exorta, uti conſpicua excretione quapiam, vel depoſitione vitioſae materiei in partem ignobilem ex qua nullius periculi abſceſſus, ſimiliſve morbus inſurgat. Sexto ſit illa quantitatis tantae, qua corpus univerſum integrè repurgetur, itaut nullae nocentium humorum reliquiae triumphent in corpore ſuperſtites, novo morbo novam originem illaturae. Septimo ſit illa vel proportionis, vel qualitatis eiuſmodi, quae reſpondeat infirmi corporis, morbive conſtitutioni, aetati, tempori, &c.

VI. Iam ergo perſpectis fauſtarum criſium indiciis illataque exinde cognitione, per quam a criticis morboſa ſymptomata ſeiungantur, aliqua adhuc de imperfectis criſibus exponenda ſunt. Sciendum itaque eſt nil aliud eſſe, ut plurimum, criſes imperfectas, quam morbos ſecundarios in quos inextin-

inextinctae adhuc primi morbi caussae desinant. Nam si eas materia morbifica conditiones nanciscatur, illa ut integritate dissolvi non possit, quae necessario requireretur ut e corpore propellatur, ab universa humorum compage facili actione disiungitur, exitumque semper inquirens, secretoria, ut plurimum, instrumenta pervadit: pro quorum diversitate, vi, textura, officio, constitutione diversos prodit effectus, felices scilicet, funestosve. Hinc tumorum quorumcumque a morbis aliis insurgentium origo est repetenda. Hinc diversorum viscerum, partiumve morbi, traducta in iis morbosa materie sub ipsum primi morbi terminum apparentes. Quod animadvertens Medicus funestae metastasis praesagus in id cogitet necesse est, ut humores dissolvat, aliis ut in partibus irruentis materiei cursum, actionemque divertat, tristemque consistentiam praeviter, & relaxantibus, evacuantibus, revellentibus, discutientibus aegri saluti praesto sit. Postremo & quae crisim promiserat morbosa materies, vitae viribus minimè subacta, in substantiam aliam convertitur, ut in acutis morbis faciles indicant, & quotidianae observationes. Quaecumque enim vel naturae, vel arti resistit inflammatoria materies, neque dissol-

vitur, in materiam transit suppuratoriam, scyrrosam, gangrenosam, devastantem, sphacelosam.

Neque vero imperfectae semper existimandae sunt crises illae, quae per novum morbum fiunt, proindeque liberam esse non sinunt animalem oeconomiam. Nam & morbi ipsi beneficae naturae dona non infrequenter sunt, & integerrimam valetudinem non raro effecerunt opportuna valetudinis incommoda. Nonne enim obsoletum iam est, omniumque vocibus tritum sapientis Medici effatum illud „ oportet aliquando morbos facere? Nonne admonente Celso, ipsa febris quod maxime mirum videri potest, saepe praesidio est? Quod quidem pluribus in locis aperte testatus iam fuerat Hippocrates, eiusque observationibus confirmandis devotus Sydhenamius, qui & febrim nuncupavit naturae instrumentum, quo a puris impura seiungerentur. Si enim mechanicis innixi principiis febris cuiuscumque effectus primos attente perscrutamur, velociorem ab ea semper cordis contractionem fieri intuemur: esse ergo febrim affectionem vitae conantis mortem avertere tam in frigore, quam in calore (1). Et re-

(1) Boher. de febr. 573.

revera imaginare consistant aliqua in parte, periculosam nacti quietem, lentamve periodum, humores quipiam: quam facile iis impetum conciliabit insurgens repentina febris; quam subito lentas cohesiones dividet, proindeque & effectus illos omnes distrahet, & morbos exinde profluentes! Quid enim ea proferam elogia, quibus quartanae ipsae, tertianaeve celebratae sunt. (1) Quid eximii Philosophi de La Hire historiam, qui ab inquieta, diuturnaque cordis palpitatione quartanae merito evasit immunis? (2) Quod si & morbos alios plures non ad animalis perniciem, sed ad optimam crisim saepe conspirare demonstrandum foret, nimis iam nostra prothraeretur oratio.

Sed ut eorum omnium veritas vulgari exemplo patefiat, imaginare inseratur fortuito parti cuipiam animalis exiguum ligni frustulum, pungentisve corpusculi: dolet protinus pars illa: dolorem brevi consequitur inflammatio: Inflammationem suppuratio: suppurationem vero inserti corpusculi nocentis expulsio. Noscis ergo quae naturae mens erat morbum adducentis

 crisim

1) Van de Mye de morbis Bredanis pag. 5.
2) Hist. de L'Acad. des Scienc. pour L'annè 1715.

crisim scilicet per morbum moliebatur. Neque diversa certe conditione, & morbum, & morbi crisim facit aliquando calculus in ureteres, renesve saeviens, eorumque vires omnes morbo, & dolore suscitato in noxii corporis eiectionem una conspirare cogens. Cum autem Medicorum scientiae, doctrinaeque nulla sit tutior via, quam quae natura duce patefiat, hinc nonnulla saepè in salutaris artis usum adducta sunt, quae tamen morbum facerent. Cum enim tenuium morborum quorumdam praesentia morbos alios corruere animadvertissent Medici, eorum facilè opinioni subscripserunt, qui artis ope leves aliquando morbos quospiam excitandos esse docuerant. Exinde autem utilia tormenta quaedam, doloresque commodos aegrorum saluti consulens Medica tyrannis ostentat, vesicantia, setacea, cauteria, igneas combustiones, ulcera artificialia.

Imperfectae demum crises fiant necesse est, cum morbosae materiei pars dumtaxat aliqua separatur; tum enim vigentibus adhuc in animali corpore noxiarum rerum principiis, & inextincto primi morbi fomite, vel morbus alter insurgit, ut supra animadvertimus, vel novae fiunt morbi eiusdem adcessiones. Qua in re notum est „

Hip-

Hippocratis documentum, admonentis, quae *relinquuntur in morbis recidivas facere consueverunt*. Quod nemini admirationem faciet perpendenti, ea quae relinquuntur ex eadem omnino materia conflari, quae primum morbum adduxit. Neque tamen recidivarum nomine excludendam esse voluerunt sapientiores interpretes aliorum quoque differentium morborum originem, & novitatem, licet id intelligendum sit potius nomine mutationis in morbum alium, quod diversam a recidiva ideam parit eiusdem morbi novas adcessiones supponentem (1). Postremo imperfectis crisibus adiungi potest status ille morbosi corporis, quem Graeci ἀκρισίαν appellant, cum scilicet nulla crisis apparet, cum humores ad idonea corporis instrumenta circulationis impetu perducuntur, quin ulla tamen observetur excretio: vel denique cum in morbis crisi quapiam dissolvendis, neque salutaris excretio, neque ad excretionem illam conficiundam idonei motus ulli conspiciuntur, sed aliqua tamen morbi fit remissio, & decrementum.

VII. Postquam ergo multiplici diversarum observationum ordine morbosa symptomata a criticis seiungere noverit Medicus,

[1] De Gorter Medic. Hippoc. in aph. XII. Lib. II.

cus, & a perfectis imperfectas crises distinguere, alia etiam studia conferat necesse est, ut signa crises quascumque praevenientia cognoscat, exindeque facilem sibi comparet illarum praedictionem. Sed antequam divinam hanc medicae prognosis intelligentiam aucupetur, diversarum prius exponenda est viarum historia, per quas criticum opus instituere natura consuevit. Quae quidem actionibus suis omnibus cum varia maxime sit, & locupletissima, diversa critico in opere Phisicis oculis exhibet spectacula. Id autem necessario desiderant differentes morborum constitutiones, viarumque per quas morborum eorumdem victoria securius obtinetur. Atque haec quidem omnia diversis remediorum quorumdam nominibus ferme respondent. Quis enim nescit, quanta ex. gr. opportuna ventris purgatione commoda salutis adcedant? At qui & crises plurimas observasse contigit expulsa, deiectaque per intestinorum cavitatem nocente materia. Et revera nulla fortasse expurgandis in animali corpore humoribus universis amplior via, faciliorque est: in quam scilicet partes ferme omnes se exonerant, remotae quamvis, longoque dissitae partium aliarum intervallo: unde nec imprudenter, nec hyperbolice eos sensisse dicendum est, qui per

inte-

inteſtinalem fiſtulam corpus ferme univerſum vel repurgari, vel & conſumi, deſtruique poſſe aſſerverunt. Quod oſtendunt primo naturalia officia plura atque ea propemodum infinita, ab imi ventris viſceribus exercenda, quae vel occultam habent, vel patentem cum inteſtinis tuborum quorumdam comunionem, iiſque mutuo veluti actionum foedere coniunguntur. Vnum perpende, atque illud certe maximum, viſcus haepar, quod abdominalis veluti cordis loco venae portae ſubſidio ventri univerſo canales omnes, refluamque circulationem impertitur. Docebunt porro admirabiles Ruiſchii iniectiones, infuſum venae illi liberum humorem perennem ſui pluviam ad inteſtina transfundere, totamque cavitatem irrigare. Quid enim de copioſiſſima bilis utriuſque ſeparatione dicam, quam ſua veluti circulatione donari iure optimo illuſtriores Medici docuerunt? At vero unam ſedulo meditare tot circumvolutam rugis inteſtinorum ſuperficiem, quorum dimenſionem toto homine ſexies maiorem ſtatuit Anatomia. Quot illico fabricam hanc meditanti occurrunt ubicumque hiantium tubulorum oſcula! Quot ſecernentium glandularum, vel complicatae, vel ſimplices machinae! Quot ergo ex omni corporis parte profluentium

tium

tium humorum fontes, & derivationes! Quot ergo facile patentes diversis crisibus viae!

Sed quae a naturali intestinorum statu indicantur nulla sunt, si cum iis comparentur, quae non naturalis eorumdem constitutio saepissime demonstravit. Et primo intuere abscessus tot internos, empyema ipsum, per intestinorum cavitatem ignota prorsus via toties expurgatum: funestos Hydropes, invictosque a limpha copiosissima ibidem adfluente feliciter evanescentes: morbos demum diversissimos sanguine, aliove fluido per intestina copiosius educto facillimè profligatos; quin & contra diarrheae pertinacioris impetu humores prorsus omnes avolantes, & rigidissimam exinde adductam tonicam tabem: adipem denique ipsum per intestina liberalius excretum: quin & insigniora quaedam extranea corpora, solidioraque (1) distractis morbi vi ductibus ad intestinalem fistulam derivata. Quibus omnibus, aliisque huiusmodi, luculenter edocebere nullam fermè esse animalis fabricae partem, quae intestinis, quacumque demum conditione, comunionem neget suam; unde infinitis propemodum crisibus aditus per illa multiplex patefiat.

Libe-

[1] Vid. Tulpii hist. Lib. III. Cap. XV.

Liberalibus quoque variae criſeos administrationibus inſervit cutis, utpote quae ex toto circulationis ambitu fluidum perpetuo transfert ſubtiliſſimum. Cumque, adnotante Boheraavio naturalis ſudor adeſſe ſupponat vaſorum extremorum laxam debilitatem, humorum circulationem aequalem validam, facilem aquae a reliquis ſanguinis principiis expeditionem; hinc nulla eſt, frequentior, ſecuriorque criſis quam quae a ſudore dimanat; Ni autem haec natura duce ſudoris indicia praefulſerint, violenta illum, vel fruſtra convocabit ars, vel & ſaepe infeliciter. Quae in animali corpore optimae mutationes, ſudorem neceſſario praeeuntes, dubitationem incutere iure poſſunt, an Criſeos potius effectus dicendus ſit ſudor, aut ſaltem ſuccedentis criſeos indicium, quod & ſupra adnotavimus. Quidquid autem id ſit, tanta ſunt ſupra reliquas excretiones omnes merita perſpirationis, ut morbis pluribus perpetuam veluti criſin adducat aeſtas, perſpirationem promovendo. Aeſtivae quippe febres, Baglivio admonente, non tantum calori, & immaturo fructuum eſui, ſed intemperantiae calidi aeris, frigidique tribuendae ſunt. Neque ſupradicta duntaxat a ſudore veniunt commoda, quae liberam criſibus

bus flernant viam, fed & falium, aliorumque corporum noxiorum multiplex pro pulfio quibus e corpore fublatis morborum plurium durationes fufferantur necesse est. Quantis autem corpus fudoris beneficio noxiis moleculis expurgetur, docent lintea cutem ambientia, effectus fingulares in partibus fudore nimio attritis, nota demum Othonis Tachenii apud indufiorum lotrices experimenta. Hinc ea femper apud Medicos viguit confuetudo, ut in febribus praecipue diaphorefin maximi facerent; cuius excitandae titulo infana illa, & periculofa methodus adducta est, qua novae femper febribus vires adcederent, intempeftivo per artem calore fufcitato aegris in hypocaufto conclufis, lectoque ad caloris violentiam comparato. Abfit quippe, ut eorum temporum infelix memoria fufcitetur, in quibus ab omni faepe potu abftinere iuffae funt arefcentes licet aegrorum linguae, ne calefacientium remediorum efficaciae quidpiam detraheretur. Quae cum a falfa verae, optimaeque diaphorefeos intelligentia profluerent, prudentiores Medicos, Sydhenamum maximè, fuaferunt, calidam ut hanc methodum (ita quippe apud Medicos audit) oppugnaret vehementiffimè, atque fubverteret, exindeque adcomodandi

fe-

febribus refrigerii, novique aeris experiundi nimius fieret fortaſſe laudator. Non ergo ſemper a ſudore certa criſis eſt; quin primo inopportuni ſudoris violentiam criſis nulla conſequitur: ſecundo qui in ipſo morbi exordio fervet, ſymptomaticus ut plurimum ſudor eſt, humorum copiam indicans, naturae oppreſſionem, morbi longitudinem: tertio frigidus in acutis internas viſcerum inflammationes denotat, &c. (1)

Qui autem haec omnia perpendit & analogiam conſiderat eorum quae cum ſudore ſecernuntur cum iis, quae diureſeos beneficio excernuntur, non minores certè, quin & ampliores arbitrabitur expectandas eſſe per ſudorem criſes, quam per urinam. Hiſce omnibus adcedit quod ex ingeſtorum numero infinita propemodum ſunt, quae urinam qualitatibus ſuis velociſſime inficiant, therebintus, rhabarbarum, aſparagus, Copaybae Balſamum, &c. (2) Vnde inferendum videtur plura, quae ſanguini labem inferant facilius poſſe per renes, quam alia per organa ſeparari. At accurata, diuturnaque rerum obſervatione conſtitit minores, quam quae vulgo iactantur, ab urina

[1] Baglivi de Praxi Medica.
[2] Fuller. Farmacop. Extemporan.

rina crises imminere : de qua nimis praeclarè senserunt, nimiumque illius inspectioni & Medici doctrinam, & aegri sortem obligarunt, qui e matula tanquam e tripode, tot evomunt portenta sordidi Vromantes (1). Nam quae ab humoris illius examine inferri possunt iudicia, vel incerta saepe sunt, vel cum praesentibus signis aliis coniungenda. Elegans ea de re testimonium protulit repetitis experimentis illustris Solanus (2) ubi notat solius urinae beneficio nullas sibi crises inspiciendas contigisse, ni vel diarrhoea aliqua, vel simile quidpiam adcederet. Hinc peculiaria criseos ab urina praesagiendae indicia praetermittit, illudque duntaxat animadvertit, quod scilicet, si intermittenti pulsui criticam diarrhoeam indicanti mollities additur, crisis diarrhoea comite per urinas praedicenda sit. Neque tamen inficiandum est ex urina quoque plura ad crises pertinentia derivari pluribus ut in locis Hippocrates, aliique docuerunt : quin & ex illa, uti crisin praedici posse, ita, & morbi periculum, aut pertinaciam. Sic quae rubro colore vehementius inficitur,

(1) Joh. Rhenani Urocriterium Chymiatricum.
(2) Nihell. de pulsu pag. 7.

tur, vel diuturnum monet adesse morbum vel inflammatoriae labis minas, vel salium magnum apparatum.

Particulares etiam fiunt in morbis varias ad partes criticae depositiones, tuberculis, abscessibus, tumoribus diverso in loco adnascentibus, morbosamque materiam includentibus, ab iis deinde mutatione quapiam eiciendam, quod crisis ideam parit. Sic post acutas febres exoriri aliquando sub auribus intuemur eminentes tumores quospiam, quos ab occupato situ parotides vocant. Fiunt hae quotiescumque transmissa per arterias fluida, nullum in lymphatica, & venas sanguineas exitum invenientia primo in aditu conquiescunt. Raras autem ab iis promitti faustas crises docuisse videtur Hippocrates in Coacis praenotionibus (1) ubi tot ad felicem earumdem terminum obtinendum exhibet conditiones. Id certe frequens ostendit experientia parotidum superincumbentium mole comprimi venas insigniores a cerebro refluas, cerebri ipsius actiones perturbari, phaenomena suscitari apoplexiae similia, surditatem vero saepissime ab iis exoriri. Quo loco liceat dubitare verè ne senserint insigniores ceteroquin practici optimam

[1] Num. 205. Charter. Tom. 5, pag. 563.

mam in acutis ſurditatem eſſe praedicantes: quae nimirum non a critica quadam cauſſa repetenda ſit, ſed potius a nervoſi ſyſtematis debilitate, cum ab acutis febribus ſenſuum organa omnia facilè labefactentur, neque auditus ſolum, ſed & olfactus, viſuſque, & tactus ipſe acutorum morborum vi per tempus aliquando depraventur. Quod ſi ſurditate adcedente remiſſiores morbi quidam facti ſunt, fecit id temporis opportunitas, extrema nimirum deſinentis morbi periodus, quae univerſalem machinae debilitatem ſociam habet. At recte quidem de parotide licet augurari quae die critico inſurgit, quae aliis coctionis effectibus adiungitur, quae molis tantae non eſt, ut ab affecta parte nequeat ſubſtineri, neque tamen & adeo tenuis, ut morboſam materiem totam nequeat continere, quae demum neque nimio rubore, neque nimio dolore vehementioris morbi prodat argumentum. Quod ſi naturam ea in criſi laborioſam periculoſa parotis oſtendat, timoremque potius quam ſpem incutere videatur, tum adiuvare opus omne oportet laxantibus fomentis aperientibus, vel ſi neceſſitas urgeat ferro aut ſuppurantibus. Quin & egregium, Baglivii teſtimonio, ſaepe praeſtant uſum gargariſmata, aut quaecumque copio-

pioſiorem excitant expuitionem: a quibus ſcilicet emunguntur excretoria glandularum oris vaſa, a quorum concreta limpha non infrequenter ſine ullo aegri commodo parotides exoriuntur. Quae omnia in id unice conſpirant, ut apparentis difficilis criſeos obſtacula ſufferantur & altera naturae praeſto ſit per artem manus. Parotidem hoc loco duntaxat adduximus velut exemplum criſeos per abſceſſum, tumoremve inſtituendae: at quia nulla pars eſt, quae vitiis hiſce non affligatur, multi ergo, diverſique iuxta morbi depoſitionem eſſe poterunt critici tumores abſceſſuſque: de quibus id adnotandum difficilem ab iis obtineri poſſe criſim, ni primò in parte ignobili exoriantur, aut quae ſaltem affectam morbo partem facile ſublevet. Secundo ni fiat per concoctam materiem, neque morbi violentia ſine lege propulſam: quo in caſu ſi non mors, morbi ſaltem metuenda eſt longitudo, & imminentis perpetuo periculi diuturnus timor. Tertio ni in aliqua parte fiat, in qua morboſa materies conſumi tota, diſperdique poteſt. At vero in febribus maxime inexpectatae criſes, optimaeque per abſceſſus exortae ſunt: qua in re ſtudium certe medicae praxeos abſolutiſſimum, eleganſque redolent Gerardi Van-

Swieten obſervationes (1), quae omnino conſulendae. Id ergo notat illuſtris Autor *In febribus aliquando verum pus, & magna quidem copia deponi ſatis ſubito in quaſdam partes corporis, atque inde eductum fuiſſe, licet nulla inflammatio in his partibus praegreſſa fuiſſet, & nulla ſigna docuiſſent in aliis corporis locis pus illud collectum latuiſſe prius quod dein venis reſorptum ad alia loca deponi potuiſſet &c. Hinc egregie infert cauſam materialem febris per febrem ſic ſubigi, & mutari poſſe ut puris analogam naturam acquirat, licet adhuc cum reliquis humoribus per vaſa fluat, & deinde deponi illud pus iam factum in quaedam loca corporis: Non vero illud gigni in illis partibus, in quibus collectum invenitur*. Quod & concordes, ſatis, ſuperque ſuadere videntur Veterum obſervationes.

At quis immenſam Criſium diverſitatem numerare poſſit, aut in iis extruendis naturae potentiam, autoritatemque definire? Quid enim cutaneas effloreſcentias, eryſipelata, variolas, petechias, morbillos, purpuram variam, aliaque huiuſmodi exponam, quibus areſcit exterior cutis? Quid vel conſue-

(1) In Comment. Boher. ad num. 593. ubi de morb. internis, & de febrib. in gener.

ſueto, vel & inſueto viarum curſu longius effluentes aliquando haemorrhagias? Quid opportunam ſaepe, amicamque pathematum improviſorum ſpei, timoris, irae, violentiam? Fuerunt quoque qui ſecundam ſemper experti fortunam contrariis etiam principiis, viribuſque levamen morbi ſuſcepe. runt. Sic inſolito corporis motu concuſſus, laxatuſque anaſarca in criticos aquarum efluxus erupit: ſic hauſto liberalius quod ignoraret vino, ab ardenti febre revixit quiſpiam: ſic incurabili tumore oppreſſus, bellico ſclopeto fortunatè ictus, apoſtemate ſuo, repurgatus eſt: Sic denique Auſonio admonente, cum fata voluerint ipſa & venena profuerunt. Quis autem non admiretur, quanta ſit in abſolvendis criſibus quibuſdam naturae conſtantia, quae nimirum impropriis, quin & periculoſis frequenter obluctetur medicamentis, & pernicioſa importunae artis praeſidia repellat? Sic de homine legitur ecchymate laborante, cui cum ſanguis e gingivis erumperet, eo per artem repreſſo ad urinarios canales translatus eſt: Cum vero cruenta urina adſtringentibus ab importuno medico, inſipientique cohiberetur, iterum ad gingivas ſe contulit, neque ab iis receſſit uſpiam

donec a morbo aeger evasit immunis (1).

VIII. Quem huc usque protulimus in moliendis crisibus naturae luxum, & varietatem diversa praeveniunt indicia, quorum Medicis omnibus necessaria maximè cognitio est. Hinc noti sunt in re medica dies indices, ii scilicet, in quibus phaenomena insurgunt instantem crisim praesagientia. Exponenda ergo sunt phaenomena illa: quae quidem pro peculiaribus diversis criticis secretionibus peculiaria, & diversa sunt. Per parotides ex. gr. futuram facilè crisim praenosces, si bombylus aurium, & surditas cum cephalea praeter spem advenerit; vel si ea appareant, quae Galenus (2) animadvertit, quod scilicet nisi pertinax fuerit morbus, & subita difficultas anhelitus adcedat, deinde cesset, illamque consequatur gravitas, & dolor capitis, somnus gravis, & surditas, necesse est, ut in glandulis post aures parotides adsurgant. Per haemorrhagiam si colli, capitisque dolor adsit, si gravitatis sensus circa tempora, si faciei rubor, si leves adcessiones veluti vertiginis, si oculorum caligo, & splendor, si aetas iuvenilis, plethora consuetudo,

si pul·

(1) Dodonaeus observ. XIV.

(2) III. de Crisibus Cap. XI.

ſi pulſus dicrotus (1), ſeu bis feriens, ut a Veteribus nuncupatur. Per haemorroidas ſi familiaris ſit aegro excretio illa: ſi aeſtus adveniat circa ſpinam dorſi, dolor, & tenſio lumborum; ex ſignis denique aegro conſuetis, notiſque, quotieſcumque vel in naturali ſtatu haemorrhoidibus occupari ſolet. Per menſtruam purgationem ſi hypogaſtrii, lumborumque gravitas inſurgat, vel dolor, & incaleſcentia: ſi ea vigeant incommoda, quae foeminae illi ante menſtruam purgationem familiaria eſſe conſueverunt. Per alvi fluxum ſi ructus, flatus, lumborum dolor, inflatio ventris, ſtimuli inteſtinales, pulſus intermittens: cui ſi adiungatur arteriae tenſio, vomitus criticus diarrheae coniungetur: qua opportunitate aderunt quoque ventriculi puncturae, tenſiones, inflatio, nauſea, vertigines breves, & tenebricationes oculo-

(1) Si quis apud Recentiores de praenoſcendarum criſium methodo optimè meritus eſt, is certè eſt Hiſpanus Solano. Is novas omninò, pulcherrimaſque a pulſu deſumptas obtulit obſervationes magno edito volumine, cui titulus *lapis lydius Apollinis*. Diverſitas autem quantitatis, vel temporis excretionum criticarum praenoſcitur diverſis quibuſdam ab ipſo expoſitis conditionibus. Ex quibus plura deprompſit Jacobus Nihell raro exemplo ex Anglia in Hiſpaniam ea de cauſſa profectus, vulgatoque Anglica lingua libro in latinam deinde translato cui titulus *novae, raraeque obſervationes circa criſium praedictionem expulſu &c.*

rum aliquando & sensus frigoris ad ilia & tenuissimae expuitionis necessaria voluptas. Per sudorem, si pulsus mollis magnus in pulsatione inaequaliter increscens, quem inciduum vocant: si urinae diminuantur: si contactus corporis vaporosi mollis, si in exteriori cutis superficie moderatus calor: si aequalis, neque nimis violenta circulatio; qua nimirum symptomatici potius, vel particulares exsurgant sudores necesse est. Atque hic animadvertendum difficultatem pluribus fecisse qui in sectione quarta occurrit quinquagesimum octavum Hippocratis aphorismum. Ibi ergo notat Divinus Senex febris ardentis rigore supervenientе fieri solutionem; cum purulentae potius materiei curem irritantis, & vehementioris inflammationis, contractionisve solidorum indicium prodere consueverit rigor. Sed egregie nodum omnem explicant elegantiores interpetres a rigore illo indicari docentes salsam materiem fluidissimam, quae cutim vellicet, sudoremque componat noxiis refertum particulis fausto semper omine avolantibus.

Cum autem infinitae propemodum sint crisium viae, nimium nostra produceretur oratio, si indicia singularum exponenda aggrederemur. Id ergo unum animadvertimus

fieri

fieri saepissimè crises per consuetas quasdam, & plerisque notas proprii corporis depositiones. Quamobrem de iis sedulo instruatur Medicus necesse est: neque id solum, ut usitatam naturae methodum promoveat, notisque determinatae fabricae legibus inhaereat, & faciliorem proinde crisin advocet, sed ut crisium ipsarum praesagia vulgaturus, securiores habeat artis indicationes. Sed ea omnia diuturnae duntaxat experientiae face is unice occupabit, qui difficillima delicato sensui Medicae praxeos fastidia delicias faciat suas, neque nosocomiorum squallore, & foetida exhalatione inhorrescat.

Vidimus iam quibus in animali corpore legibus instituantur crises, quam non in aegris modo, sed & in iis etiam, qui integrae valetudinis beneficio, constantiaque frui desiderant, necessariae illae sint, frequentesque, quam & brevi morbo & diuturno comunes sint, quam de iis vel dirigendis, vel opportunè advocandis curiosi esse debeant Medici prudentiores, qua rerum cognitione, doctrinaque morbosa symptomata a criticis distinguenda sint, quae perfectarum crisium, quae imperfectarum numero inserendae, qui varius in excitandis crisibus beneficae naturae luxus sit, & am-

plitudo, quae demum crises omnes indicia praeveniant. Neque tamen hisce capitibus omnibus exhausta penitus, & manifesta est crisium intelligentia. Illud ergo diligenti examine perquirendum superest obtinendis ne crisibus huiusmodi certae dies, stabilesque destinatae sint, an incerta dierum illarum lege, numerove, perfecta quamvis, & successiva actionum serie, ut in ceteris omnibus, ita in Crisium negocio, suum natura opus administret. Quoniam vero, antiquiorum maximè, & recentiorum plurium opinione, certae crisibus dies designatae sunt, quae idcirco criticae audiunt, vel decretoriae, liceat opinionis illius historiam omnem, & principia retegere, quo sententiae eiusdem vel dubia veritas, vel manifesta, luculentius innotescat.

IX. Eiusmodi provinciam apud Veteres implevit omnino Claudius Galenus tractatu de diebus decretoriis, in quo non solum doctrinae huiusce praecepta referuntur, sed & sectarum quarumcumque nomina, aut hominum, Hippocraticae licet scientiae infensorum, qui sententiae de diebus criticis lubenti animo subscripserunt, postquam suis illam Hippocrates aut scriptis, aut colloquiis publicam reddiderat. Hippocrates ergo, & qui eius opera liberali interpetrationum

copia

copia vel illustravit, vel & aliquando obscuravit, Galenus, dierum criticorum seriem & partitiones quatuor potissimum classibus contineri docuerunt. Primo enim die quasdam absolutè, integreque criticos appellarunt, & illos quidem semper ferme impares, inter quos septimus maxime, & decimus quartus. Secundo alios nuncuparunt praenuncios, seu futuram crisim indicantes, uti quartus, undecimus, decimus septimus, &c. in quibus scilicet crises determinato quodam septenario, aliterve successurae praenoscuntur. Tertio intercidentes, qui scilicet eo intervallo continentur, quodcumque est, inter absolutae criticos, & indices, ut tertius, quinctus, nonus, &c. Quarto demum inanes vacuos, seu Medicinales, qui nempe remediorum quorumcumque usui, actionique securam praestant opportunitatem. Neque enim loqui lubet de insulsa, quae Dioclem inter, Galenumque tamdiu viguit disputatione, cum vel primam diem inter criticas numerasset Diocles, earum febrium observatione ductus, quae una die concluduntur, negaret Galenus, quod a rerum non naturalium vitio ephemeras exoriri semper crederet; quasi vero & ab exterioribus causis ephemera saepe non exoriretur, &

veluti

veluti critica praedicari ea ipsa dies possit, sub qua morbus nascitur.

Alterum doctrinae de crisibus canonem tradidisse videtur Hippocrates Epidem: libro tertio, ubi docet, quod si imparibus diebus morbi fiat incrementum, impari die succedet crisis; si autem id fiat paribus, pari die aderit Crisis. Canonem hunc adductis in supralaudato libro observationibus, exemplisque confirmat. Ibi enim de Laryssea Virgine sermo est, quae pari semper dierum numero doloribus occupata, die morbi sexta crisis beneficio pristinae valetudini restituta est. Ibi Philiscum offendes sexagesima die morientem, qui paribus antea diebus morbi tulerat incrementum; Pythionem, cui vehementior paribus diebus morbus insurgeret, die decima a morbo ipso immunem, &c. Ex quibus, aliisque Divini Senis observationibus deducendum videtur criticae diei praedictionem non raro esse repetendam ab observatione diei, in qua validior morbus furit. Alia quoque est pro paribus diebus Galeni, & Hippocratis observatio, quam & superius exposuimus, ubi egimus de crisi morborum chronicorum. Ibi itaque ex Veterum praeceptis adnotamus chronicorum morborum solutionem non septenario numero, sed vicenario

con-

continineri . Iam ergo hisce suppositis incostans est acutorum crisis, quae nimirum modo paribus accidat, modo imparibus diebus, constans chronicorum, quae scilicet paribus semper diebus obtinenda sit, cum morbi omnes, qui a quadragesimo ad centesimum, & vigesimum progrediuntur, vigesimi semper, paris scilicet numeri gradu, ex Hippocrate, Galenoque dissolvantur.

X. Quoniam vero vulgari adagio notum est quot homines, tot esse sententias, hinc vix ex antiquioribus nonnullos pro criticis diebus decertantes audieris, totidem iisdem fermè saeculis ex alia parte offendes, criticorum dierum potentiam, sacrumque nomen irridentes. Nonne enim Herophilus spectatissimae apud Veteres doctrinae Medicus in Hippocratis praecepta de prognosi, & crisibus acerrimè disputavit? Quanta etiam in hac re est Asclepiadis autoritas, qui modesta Medicae praxeos elegantia, & simplicitate, de facili pharmacorum plurium fide, & futili pompa sapienter, portentisque, primus fortasse dubitavit? At qui illum criticorum dierum merita nihili fecisse notat Coelius Aurelianus: *Neque enim esse in passionibus status dies, quos criticos*

vocant

vocant, neque certo; aut legitimo tempore aegritudines solvi (1).

Cum autem sapientiam saepe, saepe & errorem a Veteribus hauserint ex recentioribus plurimi, hinc non solum varia est nostris hisce saeculis dierum criticorum fides atque fortuna, sed & receptas a nonnullis intuemur, commendatasque futiles ea de re doctrinas plures ac planè superstitiosas. Quod autem rem omnem sedulò perpendenti perpetuam facit admirationem illud est, quod inconstans adeo, & diversa doctrina ab observatione profluxerit, idque passim fateantur ex Medicis plurimi, atque ii quidem neque indocti, neque mendaces nihil se de criticis diebus asserendum censuisse, nisi quod observaverint. Quodcumque porro aut nostris, aut remotis antea saeculis Philosophi ferme omnes, exigua licet diversitate, statuerant tamen, ac veluti definiverant, audacter invertit, destruitque Hieronymus Fracastorius, ubi quartos duntaxat dies crisibus consecratos esse docuit, sententiaeque prorsus singulari caussam adcomodavit omnino singularem (2). Crisium quippe quarumcumque originem in humoris

---

(1) Ex C. Aurel. Lib. I. Cap. XIV.
(2) Tract. de Causis dier. Critic.

ris melancholici motu, nescio quo, constituit, motumque illum quarta duntaxat die fieri contendit.

Si Criticorum dierum methodici fautores cum illis aut numero, aut scientia comparentur, qui liberiore animo, naturam legibus iis immunem esse voluerunt, patebit facile dubiam esse, quae ab autoritate repetenda sit quaestionis solutionem. Cum enim solemne semper fuerit perpetua humanam scientiam vigere discordia, hinc plurimos uno, eodemque tempore critici dies habuerunt & patronos, & oppugnatores: qui ne antiquorum fidei, castisque observationibus quidpiam dethraere viderentur, quas aut negligere, aut veluti falsas improbare nemo possit crisium merita omnia diversi aeris perfectioni, puriorique coelo tribuerunt. Neque enim dubitare se profitentur in Graecia ex. gr. aliisque regionibus huiusmodi determinato quodam ordine successisse crises, suis idipsum tamen in terris variam exhibentibus temperiem negant usuvenire. Sic Hippocraticae ea de re doctrinae interpres Hollerius in frigidis, & borealibus regionibus rarius expectari notat exactas criticas evacuationes (1). Wal-

[1] Videantur quae Wedelius hanc in rem animadvertit de temp. regionum differt. de dieb. criticis.

Waldſchmidius quoque de Criſi loquens notat praeter cetera popularium ſuorum praedictiones in morbis acutis non adeo certas eſſe, prout apud Hippocratem inveniuntur (1). Quin & Baglivius antiquioris criticae methodi veluti cauſam effert *puriorem Graeciae aerem, & viciniam adiacentis orientis valde elaſtici humores purificantis, contra ac ſuccedit in ſeptentrionalibus regionibus* (2). Cui conſonat Eiſchtadius (3) inquiens „ *in differentibus Germaniae noſtrae partibus raro perfectae fiunt criſes, & quae morbum omnino ſufferant*. Atque hi quidem ſi non apud omnes, apud quaſdam ſaltem gentes fauſtam illam criſium hiſtoriam cum Veteribus admitti poſſe concedunt, cum contra alii plures determinatam illam dierum criticorum connexionem, fortunamque vel in graeco aere derideant. Leges, ſis, quae in elementis Medicinae Phyſico-Mathematicis profert Archibaldus Pitcarnius: quae in criſes nimis fortaſſe audax oblatrat Helmontius (4) doctrinae illi adeo infenſus, ut quos in adoleſcentia de criſibus expoſuerat libros quinque, Vulcano ſe ſapienter obtuliſſe glorietur:

[1] In fundam. Medicin.
[2] In prax. Medic. pag. 140.
[3] Praed. aſtron. Sect. III.
[4] Cap. de Temp. pag. 509.

tur: quae de constanti illa dierum serie, negligenda animadvertit Laurentius Bellinius nullum licet sit gravissimi scriptoris argumentum ex diversa apud diversas gentes dierum periodo, & longitudine desumptum (1).

XI. Neque id sane mirum, aut singulare videbitur perpendenti instabilem, variamque esse, quin & aliquando sibi ipsi contrariam Veterum de diebus criticis intelligentiam, doctrinamque. Quod primo diversa conditione fieri minime poterat, cum inconstantem saepe, neque certam (idque iure optimo) suponerent dierum illorum caussam; nam vel ab exteriori origine, facileque variis extrinsecorum corporum actionibus crises quascumque diverti, mutarique posse docuerunt: quin & ipsi plurimum ea in re atmosphaerae esse tribuendum. Hinc Medicos non infrequenter monet Hippocrates, morbos faciles iudicatu fieri, si tempestates naturales sint (2). Quantis porro varietatum titulis servile iugum praestare cogentur potentes illi dies, quos facile mille res turbant! At quae nam Deus bone! apud antiquiores est dierum criticorum determinata semper enumeratio? Nonne

(1) De miss. sang. prop. X. pag. 180.
(2) Lib. II. Epidem. paragr. XX.

ne diverſa eorumdem documenta pervolenti, conſtat luculentiſſime non impares modo, non ſeptenarios, ſed nullos omnino eſſe dies, qui ſalutarium dierum numero, atque officio expungantur? Primo enim pares dies omnes criticos eſſe poſſe dixerunt, ſi pari die morborum fierent incrementa (1). Iam ergo ex ipſo Veterum teſtimonio, quantae contra imparem numerum diſceptandi opportunitates inſurgunt? Aut quae unquam aegro corpori dies elucebit, quae criticae diei titulo, meritiſque deſtituatur? Sed ulterius adhuc producta res eſt, neque ſolum certi quidam dies veluti ſalutares inſcripti, ſed ex iis quoque aliis digniores alii, minuſve digni, ita ut criſis optima ſeptimo, & decimoquarto ex. gr. minus integra, nono ex. gr. & decimo quincto fieri ſupponatur. Quantae igitur pro tractis tam auſtero ordine adeo methodicae doctrinae diviſionibus, admittendae iam ſunt in ipſo impari die criticarum legum determinatae varietates! Lepidum certe ſibi negocium imponit Claudinus, ubi neceſſarias dierum quarumdam actiones, effectuſque laborioſa partitione definire contendens, in ea diſputatione totus eſt, ut ſingulo-

(1) Epidem. Lib. III.

gulorum dierum criticorum variam dignitatem, viresque demonstret. Quod a Graecorum praeceptis haustum videtur, a Galeno maximè, qui catalogum exhibet dierum magis, minusve perniciosarum. Quam enim in sextam diem violenta est Galeni Rhetorica, ubi dierum criticorum, septimi praesertim naturam, & proprietates effert, sextum infidum, & suspectum vocat, & hunc tyranno devastatori, illum Regi benefico comparandum esse contendit. Atqui contraria prorsus observatione Hippocrates vernos quosdam morbos describit, quorum opportuna crisis sexta duntaxat, vel octava die constanter insurgeret (1). Quae & apud Neotericos plures occurrunt, quorum aliquis praecipuè de febre Eboracensi epidemica id notat, faustum febris huiusce terminum circa sextam diem sudoris auxilio contigisse; At superiori anno similem febrem, longiore tamen cursu productam, die duodecima delirio saepè adcedente, supremam aegris diem attulisse (2).

Verum enim vero cum tot se legibus adstrixissent dierum criticorum methodici propugnatores, grave adeo iugum inesse

 sibi

(1) VI. Epidem. III. XXII.
(2) Winteringhamus in Commentario Nosologico.

ſibi non ſentientes, cogente tamen frequentius quam puturant, rei neceſſitate, paulatim oppoſitam omnino viam inierunt, nulliſque tandem legibus obtemperarunt. Et primo ſervitute omni excuſſa, quam liber, quam vinculis expeditus ſuis exultat Galenus, docens criſes omnibus diebus accidere, licet neque pares numero, neque aequali fide (1)! Quantas autem ſibimet ipſi turbas excitat, ubi Hippocratis, aliorumque doctrinam explanare nititur, qui poſt decimum quartum, non vigeſimum primum modo, ſed & vigeſimum criticum nuncuparunt! Nam difficultati illi obicem facturus, Lunaris periodi doctrinam in ſubſidium vocat, ex qua deducatur unum, & viginti dies integros hebdomadis tribus minime contineri (2). Quae ſi ea lege ſupputanda ſint, vides quantum & decimi quarti, & aliorum dierum plurium auſterae ſupputationi detrhai poſſit. Nec imperfectè minus eidem ſe difficultati ſubduxit Hippocrates, hac opportunitate admonens ſeptimanas ſupputandas non eſſe integras, ſicuti nec dies, nec annos: Vnde vigeſimus, tribus licet conſtet imperfectis ſepte-

---

[1] De dieb decret. Lib. I. Cap. II.
[2] Ibidem Lib. III.

ſeptenariis, dignior tamen criticus ſit. Neque enim inſulſas in tricis hiſce conciliandis, at laborioſè congeſtas, aliorum plurium doctrinas exponam, in quibus licet inſudaverint aetatum quarumcumque Medici, tricis tamen illis vel parum expeditum iter vel & abſtruſius effecerunt. Ex quibus omnibus inferendum facile eſt quanta iam ſit ex ipſo Veterum teſtimonio, quacumque demum die, criſium libertas, quam vaſto illae campo exultare, ſpatiarique poſſint. At vero Galeni ſemper, Hippocratiſque doctrinae tenacius inhaerentes (utpote qui criticorum dierum velut anteſignani, fautoreſque principes ſupponuntur) oſtendamus duo illa antiquioris Medicinae lumina in aptiore criſium die determinanda nullam ſibi legem impoſuiſſe. Quod enim ad Hippocratem attinet, ſi eius opera diligenter evolvantur, innumerae occurrent aegrorum hiſtoriae, in quibus referatur die ſexta, octava, aliiſque non criticis, criticum tamen ſudorem, aliamve criſin adfuiſſe. Quid quod varius eſt, ſibique ſaepè diverſus Hippocrates ipſe in diebus hiſce numerandis. Qua de re ut alia omittam exempla plurima noſtro hoc in opere paſſim reperiunda, ſufficiat Aphoriſmus trigeſimus ſextus ſectionis quartae,

 qui

qui plurimum interpretibus negocium fecit de Hippocrate, neque id fortasse desiderante, sibi tamen semper conciliando nimium profectò curiosis. In eo ergo consuetae criticos dies numerandi methodo abdicasse videtur Hippocrates. cum quartum praetermittat, & vigesimi loco numeret vigesimum primum, neque de quadragesimo verba faciat, quam ergo veluti non criticum respuat. Quid plura? Galenus ipse pertinax adeo Hippocratis, dierumque criticorum propugnator, utrisque improviso valedicit, docens contra comunem ea tempestate sententiam, febres continuas acutissimas nunquam quarto die solvi, neque tamen, uspiam ante tertium, quinctumve (1). Sed ut ea omnia luculentius innotescant, memoria revocanda sunt, quae de Crisi morborum chronicorum differentes animadvertimus, eos nempe morbos, qui ultra quadragesimum persistunt Antiquiorum monito non septenario numero, sed vicenario, terminari; Eos autem, qui ultra centesimum, & vigesimum, nulla iam amplius dierum lege dissolvi, sed annorum, mensiumque.

Iam ergo ultimus hic adesse tibi vide-

de-

---

(1) De Crisibus III.

debitur regnantis huc usque imparis numeri terminus: hic superba planè, & diuturna eius autoritas extincta prorsus, atque consepulta. Atqui tua te fallit opinio. Vix enim septenario dierum numero expeditum te esse gestis, gravioribus annorum, mensiumque septenariis obrutum te rursus esse senties, atque involutum. Hinc plurimas in pueris affectiones iudicari audies alias in quadraginta diebus, alias in septem annis &c. (1) Quae tamen si rigido sensu, & numeratione conferenda sint, videbis profecto quam variis conditionibus septenarii numeri recto ordini, integroque detrhai oporteat, & inaequali saepe, imperfectoque, menses, annosque septenario definiri. Quamobrem nullam praeceptis iis numerorum legem contineri putandum est, sed morborum duntaxat, eorumque solutionis periodum quodam termino circumscriptam, ut patebit inferius.

XII. At esto sibi semper aequales, constantesque fuerint in determinandis criticis diebus Hippocrates, Galenus, aliique: Esto hos potius, quam alios crisi instituendae dies consecraverint. Portum adhuc non occupasti; Nova iterum obrueris irruentium opi-

(1) Aph. XXVIII. sect. III.

nionum turba, & contrarietate. Unde ergo in enumerandis diebus hisce repetendum esse principium arbitraris? Advocanda rursus est in subsidium Antiquiorum, Recentiorumve doctrina, de qua tamen superstes adhuc triumphet plurima difficultas. A morbi principio, inquies, dies hi numerandi sunt: ea tamen methodo minimè nodum omnem expediri senties. Praeveniunt quippe morbos plerosque varia valetudinis manifesta incommoda, quae morbum aliquem constituunt, vel ea symptomata, ex quibus morbus quispiam componitur, tam exigua in sui exordio aliquando sunt, ut a morbi accusatione, & infamia liberentur, vel intermedio quodam perfectae veluti inactionis spatio conquiescunt, ut ignorandum relinquant, idem ne vigeat morbus, an alter alteri successerit, vel demum ab iteratis diversi morbi effectibus insurgunt, & duplicis veluti morbi forma revivifcunt. Quid enim divisionibus aliis pluribus molestus tibi, longiorve sim? Rem itaque omnem expediam uno, alterove exemplo, & quidem ab Hippocrate ipso depromto. Qui ergo numerari jubes febris diem, quae morbo alteri supervenerit? Hippocrates certe in Epidemicis, alibique symptomaticae febris initium definiturus ancipitem semper ea de re, variamque

que doctrinam exposuit. Febres quippe partui supervenientes numerandas esse docet nunc a primo partus die antequam febris ulla adfuerit, nunc a prima die febris ipsius. Atque in libro, quem de vulneribus inscribit, manifestè docet febrem vulneri supervenientem non ab ipsius febris primo par. .ismo, sed a die vulneris esse numerandam. Sed haec aliaque nullius ferme momenti sunt, si ad eorum sententiam converti lubeat, qui morborum quorumdam exordium ab aegri decubitu repetendum esse censuerunt; quasi vero nullus uspiam erecto homini, aut incedenti inesset morbus, neque iustam conlabentis valetudinis querimoniam facere quispiam posset, qui non e lecto quereretur. Postremo quantae illud incuriae, negligentiaeque est in adeo methodicis crisium propugnatoribus, quod criticorum dierum initia, finesve per aequivocos saepe numeros, variique sensus ideas consulto definiverint. Nam si rigidiores naturae leges, & circumscriptam dierum normam perpetuo crepas, quid amabò sibi volunt frequenter occurrentes voces illae quartam inter, quintamve diem, octava die, septimave, circa septimam diem, & similia? Iam ergo prima illa dilectae doctrinae semina memoriae exciderunt tuae:

Iam nulli per te dies sunt, qui critici non sint. Quae enim, exempli caussa, circa septimam diem insurgit crisis, ad sextam diem referenda est: Quae octava die, vel septima, incertam sui laudem relinquet: quae quartam inter, quinctamve anceps ex utrisque meritum, aut aequale mutuabitur. Quae fortasse critica mente pervolventes illustriores Practici de crisium tempore locuturi, vocibus iis usi semper sunt, quae indefinitum dierum terminum complecterentur; unde circa datam quampiam diem, aliamve huic proximam vel advenisse crises indicarunt, vel futuras praedixerunt. Eiusmodi est, plures ut alias omittam, Pisanae febris epidemicae biliosae anni *1661.* descriptio, quae occurrit in vita Malpighii posthumis eiusdem operibus adnexa. Ibi enim legere est febris huiusce terminum circa decimam quartam, vel decimam, vel duodecimam diem contigisse, ni celeriorem, salubremque morbi solutionem adduxisset praecedens diarrhoea. Ii ergo omnes crisium negocium indefinito tempori committentes dierum, quorundam vinculo, & necessitati se subduxerunt.

At vero in nugis hisce nimis exsultare ne videar, inquirendum potius est unde profluxerit imparium dierum supra pa-

res

res tam facile iactata autoritas. Sciendum ergo est, apud omnes ferme gentes, quin & ante ipsam facile Medicinam antiquissimam fuisse imparis numeri, septimi praesertim, in re quacumque potestatem; unde impar numerus masculae virtutis esse dicebatur, Diisque proprius, utpote qui naturae immortalis sit, quia dividi integer nequeat, par numerus, mortalis, quia dividi possit. Sic qui primum imparis arithmeticae gradum occupat, ternarius numerus Τρίας nuncupatus, apud Aristotelem, naturae veluti lex est, qua naturalia omnia absolvantur (1). Quin & multo ante Aristotelem, ampliori dignitatis titulo apud antiquiores illustratus occurrit, utpote qui Divinitati consecratur, a qua scilicet initium, & medium, & finis est. Hinc omnium ferme Deorum potestas triplici (2) signo

---

(1) Aristot. de coelo cap. I.

(2) Videantur Servii adnotationes in Virgilii Eclog. VIII. vers. 75.

Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Lilia circumdo, terque haec altaria circum
Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.

Videantur etiam quae de ternario numero animadvertit Linus Colucius Salutatus Epistol. part. 2. Epist. I. Innocentio VII. inscripta, ubi de novem Cardinalium in conclavi congregatorum numero.

gno indicatur, trifidum cum ſit Iovis fulmen, Neptuni tridens, Plutonis Canis triceps, Parcae, Furiae, Muſae ternae. Sed impares inter numeros, nullus famae celebritate ſeptimo comparandus eſt, quem *& in bono & in malo* omnium potentiſſimum aetas primaeva iudicavit. Nulla enim toto orbe terrarum recenſeri gens poteſt, homines ferme nulli, non Aegiptii, non Chaldaei, non Graeci, non Arabes, apud quos commendata maxime non fuerit, exultaque ſeptenarii numeri dignitas & amplitudo. Quid autem de eo praeclarius excogitari unquam poterat, quam quod integer, perfectuſque numerus diceretur? Quod ab illo duntaxat armoniae cuiuſcumque rationes omnes, canoneſque profluere crederentur? Si vero ad rem Medicam, de qua unicè in praeſenti curioſi ſumus ea omnia traducantur, incredibile eſt, quantum fuerit ſemper apud Medicos numeri illius imperium, & autoritas. Quod quidem Ariſtoteles, omnium maxime, Hippocrateſque praeſtitiſſe viſi ſunt, quorum alter numero illi tam multa tribuit (1), quod ſingulis ſeptenariis mutationes plurimas contingere definiverit, alter, quod (2) non aetates ſolum

(1) In hiſtor. animalium.
(2) Lib. de principiis, & alibi.

lum hominis, sed & Physicas actiones plures septenario velut obligari, contínerique demonstraverit. Quis autem scholarum principum duarum, tantorumque hominum, quos iure optimo aetas unaquaeque venerata est, autoritate frangi, se abripique non ultro fateatur? Postremo quanta cum severitate praeceptis hisce inhaeserunt Medici nostra hac aetate spectatissimi: *Ter septima hebdomada Embryo in utero primum motum edit* (1), *& sex septima ad partum est paratus. Septimo mense dentes exitum moliuntur, bis septimo stomachus cibum capere potest; ter septimo pedes in incessu, & lingua in loquela officio fungi incipiunt. Septimo anno primi decidunt dentes, mentisque operationes se exerunt; bis septimo anno pili in pube crescunt; & in utroque sexu potentia generandi accedit &c.* Sic procedit insignis Autor ad annum usque quadragesimum nonum, quo *corporis robur sensim diminuitur, in foeminis mensium fluxus subsistit, in viris potentia generandi deficit &c.*

Postremo quis ignorat climactericorum annorum funestum ignaris auribus nomen, septenarii semper numeri multiplicatione recen

---

[1] Frid. Hoffmannus de aetat. mutatione morbi caussa, & remedio.

recenseri ? Quae cum ita sint videndum porro quae tantae in septenario numero dignitatis, autoritatisque fuerint exordia, quibus ille documentis exornetur. Cui sanè iniuriam fecerunt ii, qui Cabbalisticam Philosophiam in medium adduxere, & restitutam per Cornelium Agrippam insulsa dogmata, a quibus dierum criticorum, & numerorum quorumcumque vis exordiretur; cum ea omnia multo ante Cabbalisticam Philosophiam plurimarum gentium linguas, animosque occupassent, & praeclarè nimis de secta illa sensisse visi sint, qui tantam eius famam fuisse censuerunt, ipsa ut doctrinae Medicae prima semina constituere, tantaque cum libertate definire potuerit (1). An ergo prudentius eos cogitasse dicendum est, qui a Pythagoricae primum, deinde & Platonicae scholae celebritate rem omnem deducendam esse voluerunt. *Pythagoras quippe in Aegipto nutritus, ubi omnia exibebantur per figuras, & terminos Geometricos & Arithmeticos de spirituali mundo, & naturali numerorum Symbolis philosophatus est. Quid autem per eos intellexerit possibile non est divina-*

[1] V. Brucker Hist. crit. Phil. Tom. IV. part. 1. Cap. IV. ubi & alia contra cabbalisticos fautores argumenta profert.

vivere , cum arcana fuerit methodus docendi expresse ut paucis innotesceret : cum fata Philosophiae Pythagoricae cum ipso ferme magistro extinctae illam non produxerint (1). Atqui & Divinus Plato a Pythagoricis Metaphisicae , & Theologiae praeceptis imbutus est , & Pythagorae numeros idem omnino esse, ac Platonis ideas eruditiorum omnium opinione constat (2). At vero quantacumque demum fuerit Pythagorae fama , parum tamen Hippocraticas illa terras pervasit , in quibus corpuscularis potius Anaxagorae , Democriti , Leucippi , aliorumque huiusmodi Philosophia dominata est : ut ex Hippocratis scriptis videre est , in quibus non abstractae Aegiptiorum ideae triumphant, sed materiae, motuumque leges ad naturales effectus explicandos. Adde quod altius adhuc , longiusque repetenda est septimi numeri supra reliquos impares excellentia . Sacrum quippe illum fuisse, titulisque pluribus spectabilem multo ante Pythagorae , Platonisque aetatem patet ex Homero , & Hesiodo , qui septimam diem sacram vocant perfectam , in qua omnia intuen-

[1] Ed. Herb. de Cherbury de relig. Gentil. apud Bruckerum de vita Pythagorae .

(2) Vid. Brucker. dissert. de convenientia numerorum Pythagorae cum ideis Platonis.

tuentium oculis exhibita sunt. Id resonant Solonis elegiae; Id Callimachi poetae carmina (1). Si itaque scriptorum opiniones exponendae sunt, qui de ea re verosimilius sensisse videantur, eae ad duas maxime referendae sunt. Vel enim septenarii numeri dignitas ab oscura quapiam apud omnes ferme gentes Divinae Creationis fama repetenda est (2), vel, quod fortasse probabilius, ab observationis Astronomicae documentis. Quae duo luculentius ut innotescant, primo memoria revocanda sunt quaecumque scriptores gravissimi adnotarunt de diffusa ab antiquissimis usque temporibus per traditionem toto penè Oriente Sacrae Historiae cognitione, tenuissima licet, ac mendaciis pluribus obvoluta. Qua de re suspicari prudenter cogit Veterum maxime fabularum, excultaeque apud Ethnicos Religionis, rituum, Deorum confusa consonantia quaedam cum iis, quae in Sacris Paginis adducuntur. Hisce constitutis, non immerito dubitare fas est comunem quamdam gloriae, potestatisque fidem diei illi exinde adcess

(1) Sidereo in Coelo septem perfecta fuere orbibus omnia, quae apparent volventibus annis Clement. Alexand. Strom. Lib. V. Euseb Praep. Lib. III. Cap. XII.

(2) Habemus enim in Genesi quod benedixit Deus diei septimo ..., die septimo requievit ab opere suo, &c.

adcessisse; diei inquam illi, quae apud Etnicos, ut supra vidimus, a primis usque temporibus sacra nuncupata est perfecta mundi genethliaca, aliisque pluribus honorum titulis insignita.

Atqui fortasse septenariae numerationis illustre semper nomen, & venerata dignitas, ab astronomicis observationibus profluxisse rectius iudicanda est. Coelestium quippe corporum elegantia, & splendore perculsi, tantum iis primaevi homines tribuerunt, ut ex illorum motu, actioneque confirmari omnia, dirigique arbitrarentur. Vtque omittam in presens vel ipsum Divinitatis primum cultum astris facile fuisse consecratum (1), notum est prima hominum studia, doctrinamque, suum a siderum observatione exordium suscepisse; hinc vero plurima iuxta eorumdem motum metiri Veteres, multorumque φαινομένων canonas, & intelligentiam derivari exinde consuevisse. Cum autem observationes Astronomicae septenarium numerum frequentius exhiberent, quo vel coelestium corporum determinatae quaedam & perpetuae revolutiones continerentur, vel eorumdem distinctae series, genera, partitionesve, hinc eadem quoque

(1) Vossius de orig. idol.

que regula ſapienter ad ſublunaria trasferri viſa eſt, eodemque numero terreſtria plura dominari, connectique.

Sed quae ampliora in hanc rem ſuſcitavit argumenta Lunaris curſus obſervatio fuiſſe iudicanda eſt, a quo primae in hebdomadam dierum ſeptem diviſiones emanaverint, cum quatuor perpetuo ſint in aſtro illo intervalla mutationum ſeptem diebus invicem diſtantia, quae Lunarem menſem pariunt ex diebus viginti, & octo conſtitutum. Quantae autem id efficaciae, quod univerſi temporis menſuram ſeptenario potiſſimum ſpatio concluſam, vel ipſa coelo pererrantia corpora demonſtrarent? Neque enim loqui iam lubet de primariis Planetis ſeptem, quorum ſinguli ſingulis hebdomadae diebus nomen dederint, de ſeptem in ſeptentrione ſideribus, aliiſqe pluribus, per quae praeeunte aſtronomica face inſignis ſeptenario numero publicae fiduciae, poteſtatiſque titulus inſcriberetur.

Iam ergo cauſis indicatis, quibus imparium numerorum, & ſeptenarii maxime fama quaedam perpetuo viguerit, mirum non eſt, quod eo velut influxu comprehendi omnia credita ſint, quodque & in Artem Medicam idipſum facile traduci, conferrique potuerit: in qua validius

adhuc

adhuc id omne confirmatum eſt, quod in hoc imparium numerorum termino plura perfici re ipſa viſa ſint, abſolvique. Atqui rem omnem ſedulo perpendenti, patebit facile non determinatis quibuſdam numeris, ſed aliqua duntaxat, periodica licet, varia tamen lege effectus illos circumſcribi: Vnde numerorum doctrina illa anguſtis nimium finibus obligata, morborum potius periodo latius inſerenda ſit. Quod demonſtrari primo poteſt ex obſervatione morborum breviorum plures exiguo tempore parientium inſignes mutationes, quae non determinatis ſemper diebus, ſed tamen periodo quadam coerceantur. Huiuſmodi ergo ſunt febres exanthematicae, quarum cutanea efflореſcentia, & profluentes exinde diverſae morbi mutationes, diverſarum criſium loco ſunt. Atqui ſi variolarum ex. gr. eruptionem perſcrutemur, fiet illa, & tertio, & quarto febris paroxyſmo, vel & ſub finem ſecundae declinationis, tertiaeve, ſeu, quod unum, idemque eſt, fiat illa tum pari die, tum impari, neque eodem ſemper conſtante dierum intervallo. Quod & de criſibus uſu venire quotidiana confirmat experientia: quarum criſium commodo actionique ſi quaſpiam potius, quam alias dies veluti proprias re-

nunciasse visi sunt Medici plures, dicendum est eos ita intelligendos esse, ut iis phrasibus usi sint, quae non necessarios quosdam, stabilesque dies, sed certi temporis cuiuspiam ideam designarent. Et revera in acutis, aut in iis morbis omnibus, qui brevi termino continentur, si non numero dierum, qui sextam aliquando, nonam, decimam, &c. morbi partem faciunt, sed rigidiore calculo, & ad morbi brevitatem aptiore morborum eorumdem solutionem metiaris, videbis facile, quam diversa sint crisium tempora, quae variis in aegris, una tamen, eademque die contigisse videbantur. Sed ut evidentius adhuc ostendatur nulla imparium, aut septenarii lege crises fieri, sed ad periodum quamdam ea omnia latius referenda esse, liceat morborum historiam altius repetere quo incertae eorumdem solutiones tutius innotescant. Morbi igitur omnes, qui non animalis fabricae dissolutionem pariant quatuor potissimum intervallis concluduntur accessione, incremento, statu, declinatione. Quoniam vero duo potissimum in morbis perpendenda occurrunt, quorum alterum morborum eorumdem vehementiam complectitur, alterum durationem: utraque autem ab inhaerentibus propriis caussis profluunt; Hinc ergo morborum periodus exoriatur necesse est. Et morbi

bi quidem violentiam metimur ab excessu quo causa morbum excitans vitae causas superat : durationem vero a lento morbi incremento , a laxitudine machinae , a pertinacia morbificae materiei . Quae omnia connexionem quamdam , successionemque supponunt causarum agentium , quae certa quadam , sed ab iis nunquam sejuncta , temporis necessitate effectus exerant suos. Hinc est quod variae actionum successiones varietatem facient apparentium crisium; quae ergo insurgent sane determinato quopiam tempore ; quod tamen nec severiore datae cuiuspiam diei termino, nec ab ipso morbi exordio definiri , praedicique tuto possit, cum connexio illa successioque causarum agentium , nec terno , nec septenario , nec impari numero ulli fuerit uspiam obligata : Adeoque, putaverint licet ex Medicis plerique, non solum determinatis quibusdam diebus dissolvi morbos, sed & iis etiam ita crescere , plures ut in iis , quam in aliis diebus homines morerentur , nullis tamen non diebus dissolventur morbi, nullis non diebus aegri morientur , iis nimirum diebus omnibus , quibus causarum agentium vis & periodus absolvatur. Quae si vel levissime perpendissent ii , qui hos semper & necessario , non alios esse voluerunt

criticos dies, nae illi mentem non adeo contorsissent suam, ut fixam dierum illorum causam perquirerent. Neque enim Galenus Solem, Lunamque in hunc effectum conspirare coegisset, nec innatam quamdam dierum illorum proprietatem somniasset Claudinus, nec Divina voluntate facili nimis, evidentique veritate protulisset Hoffmannus. Galenus quippe cum adducere cogeretur causam dierum criticorum, id tribuit viribus unitis Solis, Lunaeque; quoniam vero vel a rudiore Astronomia refelli se novit, ultro fassus est id se amicorum violentiae debuisse, effectus illius theoriam a se quampiam extorquentium. At immortalis ceteroquin famae scriptor Fridericus Hoffmannus (1) *Ordinatos hos omnes, & septenario numero comprehensos, universales, & in sacris quoque obvios effectus, cum per leges motuum explicari nequeant, longe rectius a prima una & infinita causa, Deo, quam a multis particularibus principiis, rationaliter, & moraliter agentibus deducendos esse monet*; qua exhibita facili ceteroquin, comunique causa solos habet oppugnatores atheos neminem certe facit doctiorem. Nam de aliis pluribus loquendum non est, qui difficili phae-

(1) Dissert. de Crisib. in exper. rationali fundatis.

phaenomeno, quod negare possent, sibimet ipsis exhibito, nullam deinde causam addiderunt; Atqui si ex physicis legibus crisium causae tam facile repetuntur, explicationem quoque temporis earumdem, agendique spatium eadem doctrina suppeditabit. Cumque in febribus maxime id observare liceat, tum quod brevi, proindeque facilius observanda, periodo instruantur, tum quia universalium morborum classem occupent, ita tamen & in morbis aliis plerisque frequens est, ut crisium in iis etiam exempla unum, idemque confirment, eorum nempe solutionem periodo respondere causarum agentium, quarum actio non una potius, quam altera die, sed successivo duntaxat tempore definiatur.

Neque vero dissimulandum est morborum tantummodo periodum eos saepè indicare voluisse, qui crises quibusdam, potiusquam aliis diebus obtemperare docuerunt. Sic quae datis quibusdam diebus iudicari dictae sunt affectiones quaepiam, non iis absolute diebus iudicari intelligendae sunt, sed eo potius intervallo, quo dies illi concluduntur. Sic quae septem mensibus, vel septem annis indicantur puerorum affectiones, aetatis periodum denotare possunt, quo dissolvuntur; cum

praefertim, ut fupra monuimus, alibi animadvertat Hippocrates feptimanas supputandas non esse integras, ficuti nec dies, nec annos, proindeque crifium terminos latius, liberiusque protrahendos. Sic denique necessitati duntaxat eos inferviffe dicendum eft, qui determinando, prout saepe oportuit, animalium actionum quarumdam tempori, menses, annofve aliquos certa numeratione indicarunt: qui tamen neque universalem profecto legem ftatuere voluerint, neque rigidiffimam fieri indicati temporis interpretationem; uti cum feptimo anno rationis compos esse dicitur puer, decimoquarto generationis &c.

Sed & neque dubitandum quamdam saepe in periodo illa legem vere suppofuiffe Antiquiores, aliofque, quae imparem, at feptenarium maxime numerum confequeretur. Ni enim ea potiffimum methodo plura fieri putaviffent, cur Ariftoteles ternarium ftatuat, ceu naturae legem, qua naturalia omnia abfolvantur (1)? *Cur imparem maxime numerum pertimefcendum* esse moneat Hippocrates, cum *dies hi in alterutram partem aegrotos inclinare faciant* (2)? Cur libro de carnibus naturales humanae fabri-

cae

(1) Libr. de Coelo Cap. I.
(2) De victus ratione in morbis acut.

cae tot actiones diebus septem comprehendat, operique toti finem imponat, promittens *se alibi declaraturum necessitatem naturae, quapropter in septem haec singula dispensentur?* Quod si de operis illius autore dubium te fatearis, cur septimestrem partum aequis, integrisque naturae legibus efformatum censeat, proindeque vitalem, octimestrem vero non naturali tempore, imperfectoque, proindeque vitae impotentem? Adeo ne quidquid etiam frequens observatio facile confirmet, fallitatis tamen larvam induat, quotiescumque dilectissimi septenarii numeri dulce nomen, & autoritas quocumque demum pacto sit efferenda?

Ex quibus omnibus patet, id ampliori cum verosimilitudine sentiendum, criticorum quidem dierum existentiam in dubium revocari minime posse; quorum numero ii omnes inserendi sint, in quibus vel dissolvatur omnino morbus, vel dissolutionis proximae, integraeque certa pateant indicia; non ita tamen, ut operi illi designatos putemus hos potius, impares ex. gr. quam alios dies. Quamvis autem, ut plurimum insurgant crises determinata quadam temporis serie, plerumque etiam facile presagienda si tamen certa dierum, quin & saepe horarum lege quaedam a natura fiunt, ea potius

tius sunt ... entium morborum circuito ... miratione fas est intueri. Vtqu... rum febrium historiam omittam, ... uturna est, aequalisque in intermi... methodus recurrentium periodorum: quanto autem in iis magis admirabilis, quae cum singulis diebus insurgant duplices dicuntur intermittentes! In quibus nimirum non modo singulare est, quod idem tamdiu vigeat, constansque ad cessionum terminus, sed & duplex adcessionum earumdem genus, quarum altera vehementiores, debiliores altera exerat vires! sed ut nota taceam febrium portenta, quid admirabilem prorsus in aliis morbis quibusdam temporis circuitum describam? *Sic Viro sano robusto mediae aetatis quotidie eadem hora oriebatur molesti doloris sensus in eodem illo loco supra orbitam oculi sinistri, ubi nervus per foramen ossis frontis egreditur &c. sic homini per sex septimanas quotidie circa horam septimam matutinam brachium dextrum valido frigore corripiebatur, reliquo corpore naturalem calorem servante &c.* prout docuit immortalis famae vir Gerardus Van-Swieten ad ... 757. de febribus intermittentibus. C... lem illustri nomine, & autoritate, ... ura in opere meo confirmentur, tum & ... nem gaudeo decorari.

F I N I S.

